GEORGIUS DIONYSIUS EHRET HEIDELBERGA-PALATINUS
SII SOCIUS BOTANICUS ET STIRPIUM PICTOR EGREGIUS Nat. d. Ianuar. 1708.
ACAD. CÆS. N. CUR. ET REG. SOCIETAT. SCIENT. LONDINEN-

A. Beckett delin.

I. F. Haid excud. A. V.

LECTORI BENEVOLO
S. & O.
D. CHRISTOPHORVS JACOBVS TREVV.

NATURWISSENSCHAFTLICHES MUSEUM. in Basel.

QUæ a teneris ſumma voluptate animum affecit meum plantarum cognitio, eam pro virium & temporis ratione nunquam non augere ſtudui, eademque poſtea me officii publici curis defatigatum ſæpius recreavit & adhuc dum recreat. Quamdiu vitæ generis conditio id permittebat, itineraque præcipue favebant, nullam prætermiſi occaſionem, ex campis & hortis innumerabilis ferme horum naturæ productorum copiæ tantam acquirendi notitiam, quantam circumſtantiæ offerebant. Pedem denique Norimbergæ figens, cura ægrotorum demandata, impeditus quidem fui, quo minus fertiliſſimi agri noſtri divitias ulterius ſcrutari poſſem; ſed exoptata mihi contigit occaſio varias multasque raras in hortulo domeſtico quotannis plantas alendi. Et quemadmodum ſemper curam geſſi, plantarum acquiſitarum memoriam exemplaribus naturæ ſiccatis conſervare: ita etiam poſtmodum conceſſis a DEO propitio viribus, ad earundem vivam faciem, quæ alias facta exſiccatione evaneſcit, picturis idoneis ſupplendam animum applicui. Peropportune primum ad manus mihi fuit pictor ex Bohemia ortus & hic locorum per plures annos commoratus, D. ANDREAS IGNATIVS MAIERVS, qui mira facilitate & promtitudine plantarum imagines adeo ſaltem naturæ ſimiles effingendi artem callebat, ut citra errorem cognoſci & a congeneribus diſtingui poſſent. Paullo poſt occaſio mihi nata eſt commercium, ejusdem ſcopi obtinendi cauſſa, cum D. GEORGIO DIONYSIO EHRET ineundi. Hic a patre, Sereniſſ. Electoris & Comitis Palatini Rheni hortulano aulico, topiariæ arti pariter deſtinatus & informationi D. AVGVSTI GVILIELMI SIEVERTI, celeberrimi horti principalis Carlsruhenſis olim præpoſiti, traditus ab hoc ſimul plantas pingere in parergum a ſcopo primario non alienum didicit, hocque ſtudium poſtea omni induſtria excoluit, occaſione præſertim ſingulari favente, dum forte fortuna a. 1730. Ratisbonam venit. Hic namque locorum a D. WEINMANNO, tunc temporis iconum pro edendo opere ſuo botanico colligendarum ſtudioſiſſimo, mercede conducebatur, ut per integrum annum his pingendis ſolummodo animum adjungeret; ibidemque deinde easdem occupationes per ſesquiannum adhuc continuabat, D. LOESCHENKOHLIO, mercatori & horti florentiſſimi poſſeſſori, eadem officia præſtans. Interea temporis & horis ſucciſivis ſibi ipſi quoque confecit plures plantarum, tum indigenarum tum hortenſium, imagines vivas &, quum earum collectio ad numerum 600. iam accederet, eam amicorum cuidam meorum æſtumatiſſimo vendidit, cujus benevola conceſſione obtenta, eandem ut ſupra memoratus MAIERVS imitaretur, curavi; qua facta acceſſione numerus picturarum Maierianarum mihi comparatarum ad 1700. excrevit. Sed de præſtantia laudati EHRETI certior factus, petii inſuper ab eo, ut meum etiam in uſum rariores plantas ſibi obviam factas ad ipſa naturæ exemplaria ſuper charta majore & nitidiore pingeret: cui deſiderio quum per tres ferme annos ſatisfeciſſet, atque præterea, itinere per Helvetiam, Provinciam Galliamque inſtituto, ſubinde aliquas icones, plurimas autem, Londini denique pedem figens, quotannis mittere continuaret & adhuc continuat, numerus earum 300. iam excedit. Quilibet autem facile prævidet, poſteriores Londino acceptas, & indicati numeri duas tertias ferme partes conſtituentes, reliquis longe eſſe præferendas, tum ob plantarum, quas repræſentant, raritatem, tum ob artificis, qui perpetua & indefeſſa induſtria per tot annos huic exercitio ſoli ſe denique conſecravit, perfectionem. Ad eam porro haud exiguum contulit, quod celeberrimo LINNAEO interea familiaris factus fuit ab eodemque characteres plantarum genuinos ad normam Botanicorum ſyſtematicorum repræſentare didicit: id quod ipſæ delicatiſſimæ HORTI CLIFFORTIANI figuræ plurimæ, ut & omnes hujus generis, quæ utrique tomo ſplendidiſſimi itinerarii RICHARDI POCOCKE additæ ſunt, EHRETI nomine ſubſcripto abunde iam teſtatum fecerunt; omnium autem maxime illæ, quas ipſemet aeri incidere (nam artem hanc pari ſucceſſu felici ſimul iam diu exercet) & vivis coloribus illuſtrare ab aliquot iam annis cœpit, nunc autem continuare atque præterea junctis concinna copula in una eademque tabula pluribus plantis additisque papilionibus rarioribus exornare denuo agreſſus eſt; ceu earum tabularum octo ad meas iam pervenerunt manus. Ne autem viva facies earum quoque rariorum plantarum, quas ex ſeminibus ab amicis benevole mecum communicatis in horto domeſtico educare contigit, memoria excideret, pictorem hujus loci, D. NICOLAVM FRIDERICVM EISENBERGERVM excitavi, ut vires in hoc picturæ genere pariter exerceret, id quod eo uſque feliciter ceſſit, ut nunc in eo ſolo occupatus meam collectionem ad 150. icones adaugeret, non computatis floribus ita dictis coronariis, tulipis nempe, hyacinthis, narciſſis, ranunculis, anemonis ſimilibusque anthophilorum potiſſimum deliciis, quorum imagines ſigillatim ultra numerum 200. aſcendunt, ex quibus plurimæ ſunt imitationes earum, quas ſupra laudatus SIEVERTVS ad naturæ normam in horto Carlsruhenſi, ejusmodi quoque plantarum generibus inſtructiſſimo, olim elaboravit & amicus quidam, poſſeſſor illarum factus, mecum communicavit, nonnullæ etiam factæ ſunt ad exemplaria, quæ iam ſatis ubique celebris Virgo noſtras, BARBARA REGINA DIEZSCHIA, pinxit. Quum

autem EISENBERGERVS. in imitando & amplificando opere Blackvvelliano nunc potiſſimum deſudet, & propter ea non ſemper ipſi otium ſit, meis ultra curis ſatisfaciendi, excitavi porro alios hujus loci pictores, nimirum D. MAGNVM MELCHIOREM PAYERLEIN & D.GEORGIVM GVILIELMVM BAVRENFEIND, adeo felici ſucceſſu, ut hi quoque eidem ſtudio ſe nunc dicarent & venuſtas plantarum imagines pro mea collectione augenda iam pararent, ſpes vero haud vana ex ſpeciminibus plus quam 50. iam elaboratis naſceretur, ambos egregios futuros eſſe in hoc picturæ genere artifices, cumprimis quia ſatis iam comprobarunt, ſe non tam panis lucrandi quam laudis obtinendæ gratia vires ſuas intendere, idque etiam fortunæ eorum conditio permittit. Tandem duplici ex capite ſilentio præterire nequeo alium adhuc ex noſtratibus eidem ſtudio præcipue deditum pictorem, nempe D. NICOLAVM GABLERVM. Primum namque hujus dotes ſingularem attentionem merentur non ſolum propterea, quod omnino totum plantarum habitum æque, ac characteres partium fructificationis, accurate repræſentare valet, verum etiam ideo, quod huic occupationi reliquum ejus vitæ genus plane contrarium videtur, dum coriarii filius unicus eidem opificio tanquam primario ſcopo exercendo addictus eſt; deinde cum hoc quoque nunc commercium ineundi occaſio mihi facta eſt, adeoque ſpes affulget, collectionis hactenus indicatæ augmentum hujus adminiculo, Deo volente, pariter futurum eſſe.

Hæc omnia, Lector benevole, non vanæ oſtentationis gratia, ſed eum tantum in finem paullo prolixius expoſui, ut de propoſito mox indicando æquum ferre poſſis judicium. Hanc enim oculorum mentisque oblectationem, æque jucundam ac utilem, mihi ſoli comparare vel reſervare nunquam cogitavi; in votis potius ſemper habui, ut aliquando communis fieret. Jam dudum ergo plurimas harum imaginum, easque præcipue, quæ telluris noſtræ vel etiam hortorum vulgares alumnas repræſentant, illis deſtinavi, quibus operi WEINMANNIANO ſupplementum haud ſupervacaneum addere forſan placeret; reliquas vero atque illas imagines, quæ plantas rariores atque ex his multas haud pridem ex remotiſſimis orbis terrarum regionibus in Europam translatas, ſingulari præterea artificio pictas ſiſtunt, condendo opere peculiari dignas cenſui. Accidit igitur a. 1748., ut celebris Auguſtanorum pictor atque chalcographus, D. JOANNES JACOBVS HAID, ex voto Norimbergam veniret & harum imaginum collectionem attentus perluſtraret, tandemque de pulchritudine earum certior factus conſilium caperet, ex iisdem illas, quæ vel raritate vel formoſa ſpecie præ reliquis ſeſe commendant, omnes vero laudati EHRETI manu artificioſiſſime pictæ ſunt, omni ſtudio & accuratione in aes incidendi, vivis coloribus ſuper charta maxima nitidiſſimaque repræſentandi & ſingulis ſemeſtribus intervallis decuriam in publicum edendi, hacque ratione, ſi Deus vitam ac vires conceſſerit, tamdiu continuandi, quam id ipſi ex emtorum numero commodum erit.

Ne autem ſuſpicio oriatur, hoc opus cum illo, quod D. EHRETVS ipſe modo ſupra indicato evulgare cœpit, eſſe unum idemque, monendum duxi, ſi vel etiam quædam plantæ in utroque compariturae ſint, non una tamen eademque ratione id futurum eſſe, de quo tabulæ ejus iam editæ ſatis teſtantur; id quod pariter valet de nonnullis, quarum ſimiles iam proſtant in ſplendidis operibus IOANNIS MARTYN, MARCI CATESBY & Societatis Hortulanorum Londinenſium: omnes enim, qui hæcce opera cum noſtro collaturi ſint, facile deprehendent, illas etiam imagines, quas denuo & plerumque magis completas publicamus, haud eſſe ſupervacaneas; ut taceam, multa opera per Angliam publicata noſtris in regionibus ignota manere, vel ſaltem pretio multo majori redimenda eſſe.

Hiſce præmiſſis iungendæ nunc porro ſunt rationes, quibus hujus operis editionem, divino aſpirante auxilio, proſequi conſtitutum eſt.

I. Quum forma & magnitudo naturalis in plantarum imaginibus ſervata notionem perfectiorem reddat: ea in noſtris ſemper conſpicienda erit vel circa integram plantam, ſi chartæ normam non excedat, vel circa ejus partes, ſi contrarium obſtet.

II. Ordinem certum, ſive alphabethicum ſive ſyſtematicum, nemo expectabit, utpote in ejusmodi collectionibus nec neceſſarium, nec jucundum, nec poſſibilem, nec denique commodum. Non neceſſarius quippe eſt, quoniam, ſi per Dei gratiam noſtra collectio ad eam molem pervenerit, ut juvandæ memoriæ cauſſa alphabeti ordinem expoſcat, hic indicis adminiculo facile ſuppeditari poteſt, ſyſtematicus vero ordo ab aliis ad cujusvis lubitum jam concinnatus proſtat; non jucundus, quia & generum & ſpecierum imagines ſæpiſſime longa ſerie jungendæ eſſent minus formoſæ; non poſſibilis, quia ejusdem generis ſpecierum imaginibus poſt priorum evulgationem paratis locus præcluderetur; non commodus denique eſt, quia auctores atque emtores legibus adſtringit ſorti & voluntati humanæ mutabili contrariis. Quamvis autem omnem ordinem ſtudio neglecturus ſim, eum tamen obſervabo, ut rariores & haud ita pridem noſtris in regionibus viſæ, aut accuratius ſaltem examinatæ, reliquas præcedant, magis jam notæ vero, ceterum tamen ſingulari formoſitate ſeſe commendantes, non niſi parcius & quaſi ornamenti vel oblectationis tantum gratia compareant.

III. Characteres partium fructificationis genericos omnibus jungere plantis, ſcopus præfixus haud magis requirit. Hic namque in eo tantum verſatur, ut plantarum, quas repræſentare contigit, facies habitusque ſtatur naturali adeo ſimilis, ut non ſolum iis, qui miris & infinitis ferme naturæ in hiſce productis variationibus ſe delectare amant, verum etiam illis, qui de ſpeciebus generi cuidam vel iam adſcriptis vel adhuc adſcribendis certiores fieri cupiunt, ſufficere queat. Ceterum, mea quidem ſententia, labor ſupervacaneus haud eſt, ſingulis ſpeciebus characteres, ex quibus de genere earum judicium ferri ſolet, appingere: ſed quamvis lubenter iſta, majoris utilitatis gratia, in opere hoc ſemper præſtitiſſem; obſtat tamen, quod non omnes alienigenæ plantæ ſingulas fructificationis partes ubique ad perfectionem perducunt, & quod præterea earum repræſentatio in his, quas nunc producimus, ab artificis voluntate dependet. Nihilominus tamen ejusmodi characteres ſæpius reperientur, quarum delineatio ab aliis hucusque nondum facta eſt.

IV. Hiſtoria

IV. Hiſtoria ſingulis plantis commentarii inſtar addenda eandem ob rationem pariter in opere noſtro abſolute neceſſaria non eſt: & ſi etiam talem conficere voluiſſem, una tamen ex parte graviores inſtantioresque occupationes impedimento ſunt, quo minus illi debitas curas impendere valeam, & altera ex parte ad ejusmodi laborem ſuſcipiendum is tantum idoneus eſt, cui ipſas plantas vivas obſervandi & examinandi occaſio contigit, qua careo circa plerasque in opere hoc comparituras, utpote quas noſtra tellus nondum aluit.

V. Omne ergo, quod me ſingulis imaginibus additurum, divina fretus gratia, ſpondere poſſum, eſt nominis adſcriptio. Quum vero plantas, quas repræſentant, claſſici auctores vel jam recenſeant, vel adhuc taceant, hæc etiam nomina vel iam approbata vel ulteriori ſcrutinio demum approbanda aut corrigenda ſunt. Ex illis, quæ pluribus claſſicis auctoribus jam in uſu ſunt, elegi brevitatis cauſſa ea tantum, quæ ſufficere videbantur ad indicandos auctores reliqua ſynonyma jam recenſentes, vel integram plantæ hiſtoriam, vel characteres ſaltem ejus generis exponentes, ut ſimul illis, qui plura ſcire deſiderant, fontes, unde ea haurire queant, indicarem. Quod ad nomina mihi ipſi nondum ſatis probata attinet, iis tamdiu uti liceat, usque dum accuratius plantæ examen meliora & aptiora doceat. Huc pertinent illa, quibus indicantur plantæ quædam, quarum characteres generici a nemine, quantum mihi ſaltem conſtat, hucuſque ſatis examinati ſunt, itemque illæ, de quibus dubius adhuc hæreo, num ullo nomine jam indicatæ ſint: de omnibus enim quo minus certior fieri queam, obſtant otii huic ſtudio dicati limites perquam anguſti, licet fontes forſan ad manus eſſent. Ceterum ex nominibus genericis approbatis illud ſemper primo loco poſui, quod mihi aptiſſimum videtur. Vt autem hujus delectus rationem reddam, meam opinionem de nominibus plantarum in genere brevibus declarare liceat. Singula genera, ſecundum regulas cujusvis ſtyſtematis formanda, peculiari nomine diſtinguenda, & omnes plantas iisdem characteribus gaudentes ejusdem generis nomine appellandas eſſe, nemo de commodis ejusmodi ſyſtematis informatus amplius dubitat, neque eorum conatum reprobat, qui nomina a veteribus, imo etiam recentioribus, botanicis uſurpata in alia novaque mutant, quoties ipſorum regulis contraria ſunt. Id unicum tamen mihi perſuadere nequeo, diſcentium commodo fieri, ut more nunc invaleſcente plura genera, quibusdam fructificationis partium notis ſatis diſtincta, ob reliquarum ſimilitudinem indeque derivandam naturalem affinitatem ad unum idemque genus reducantur, unico propterea nomine generico comprehendantur, tanquam ſpecies vero notis ab iisdem partibus derivatis diſtinguantur. Eſt namque hæcce affinitatis inquiſitio quidem laudanda & ad methodum quandam naturalem ſtruendam neceſſaria; ſed ejusmodi methodum non niſi ſummos & exercitatiſſimos viros ex crebra attentaque generum comparatione aſſequi, recte jam monuit cl. LVDWIGIVS. Methodi ergo artificiales, quas vocant & quales ſunt omnes hucusque expoſitæ diſcentiumque præcipue cauſſa excogitatæ, a naturali diſtinguendæ ſunt; propterea vero in illis minus opportune formantur regulæ in hac tantummodo obſervandæ. Quum autem in methodis artificialibus, præcipue illis noſtro ævo approbatis, iisque ipſiſſimis, quæ ſæpius memoratam affinitatem commendant obſervandam, præcipiatur, generum notas a ſolis fructificationis partibus deſumendas, ab iisdem vero reliqui habitus notas excludendas hasque ſolummodo ad ſpecierum diſtinctionem adhibendas eſſe: ſequitur, metuendam eſſe tyronum confuſionem, niſi a notis ſpecificis viciſſim excludantur omnes illæ, a quibus genericæ deduci ſolent. Porro, ſi hæcce affinitatis norma circa omnia genera obſervanda eſſet, nonnullæ claſſes ampliſſimæ, e. gr. plantarum umbelliferarum, flore cruciato, papilionaceo, liliaceo &c. ad perpauca eſſent reducenda genera; ſed multa nomina accurate definita diſtinctæ & perfectæ notioni formandæ minus obſtant, quam pauca amplioris ſignificationis, ut propterea hic quoque valeat antiquus canon: qui bene diſtinguit, bene docet. Quoniam ergo cujuslibet methodi uſus primarius ille eſt, ut diſcentes ad facilem plantarum nondum cognitarum notitiam manu ducantur, illa ſane difficilis redditur, quæ in definitione notarum genericarum exceptiones & limitationes reſpectu fructificationis partium obſervandas injungit, ut taceam injuriam quæ nominibus accurate jam definitis eorum deletione ſine cauſſa urgente ſuſcepta infertur. Puto autem, nullam cauſſam urgere, ut plantæ nominibus genericis jam diſtinctæ fructificationis partibus differentes propterea uno nomine generico jungantur & reliqua nomina recepta deleantur, quia nonnullæ harum partium inter ſe conveniunt, ideoque mutuam affinitatem indicant: quum, licet nominibus diſtinguantur, nihilominus, manuductionis ad methodum naturalem cauſſa, maior minorve earum affinitas indicari queat, quando in ſyſtematico ordine unum genus affine proxime ſequitur alterum ſimulque affinitatis nota additur, vel claſſes ſecundum hanc affinitatem in ordines, hi autem denique in genera dividuntur. Quod ad nova nomina generica formanda attinet, ea tanto majori pretio habenda eſſe, quanto magis ſimplicia & linguæ eruditorum accommodata ſunt, omni dubio caret; ſed nomen alicujus generis diſtinctum & a claſſico quodam auctore jam receptum, præterea latinæ linguæ flexioni non penitus contrarium, propterea tantum eſſe mutandum, quia compoſitum ſit, vel linguæ hujus puritati non reſpondeat aut etymon ejus lateat, pariter nondum convictus ſum: nomina namque barbara notioni formandæ non magis obſtant, quam illa, quæ a nomine proprio celebrium botanicorum uſu approbato derivantur, vel quorum, ut ut puriſſimorum, etymon aliis commune eſt. Vt taceam latinam linguam etiam indeclinabilia non penitus abhorrere. Nomina denique compoſita, quandoque etiam hybrida, præcipue ſi cognationem cum alio genere affini indicant, potius conſervanda quam reprobanda eſſe, autumo: quia omnium nominum primarius uſus conſiſtit in ſublevanda memoria, omnes autem eorum innovationes, præcipue eo in caſu, ubi priſtina nomina hiſtoriæ cauſſa nihilominus conſervari neceſſum eſt, eandem aggravant. Iisdem ex rationibus eandem quoque ſententiam teneo de nominibus ſpecificis. Si novæ occurrunt cujusdam generis ſpecies, vel etiam jam cognitæ alii generi adſcribendæ, ſpecifica nomina rectius omnino a propria qualitate vel forma, quam comparatione cum aliis, aut circumſtantiis accidentalibus, deſumuntur; ceterum vero, ut memoriæ parcamus, recepta jam nomina, niſi omni ex parte imperfecta ſint, haud excludenda multoque minus ob levem tantum notam corrigenda aut mutanda eſſe, puto: alias namque nominum horum formatio perpetuæ ferme obnoxia eſſet mutationi. Species, quæ colore aut magnitudine partium ſolummodo

differunt,

differunt, vel ordinariam faciem ex cauſſis occaſionalibus mutant, licet mutatam retineant, imo interdum pro-pagent, varietates omnino ſunt: &, ſi ſpecies, quæ multis totius habitus partibus inter ſe conveniunt, uno eo-demque nomine ſpecifico conjunguntur, memoria multum levatur, præcipue iis in generibus, quæ ſpecierum copiam habent; ſi vero differentia unius vel alterius partis in ſingulis his plantis non ſimul notetur & reliquis no-minibus ſigillatim addatur, ſed omnes ſolo varietatis nomine indicentur, confuſio facile oriri poteſt, & diſtin-ctum nomen varietatis citandæ deficit, ut taceam, normam, ad ſpecies a varietatibus diſtinguendas unam ean-demque, omnibus vix applicabilem & proinde incertam eſſe. Nomina veteribus medicis & hodie adhuc phar-macopolis uſitata eſſe conſervanda, illis quidem concedo, qui hoc non ſine ratione urgent; propterea tamen re-gulas ſyſtematicorum botanicorum communes negligere, neceſſarium mihi ſaltem non videtur: nam, conſer-vato etiam nomine medicis & pharmacopolis noto, nondum tamen notio plantæ hoc nomine intelligendæ con-ſervatur, nec error omnis evitatur illis in generibus, quæ plures hodie comprehendunt ſpecies, niſi illa medici-nalis hac nota ſigillatim diſtinguatur. Quis e. gr. inter tot Veronicæ ſpecies cognoſcet illam a pharmacopolis aſ-ſervari ſolitam propterea, quod toti generi nomen hoc conſervatum eſt? Omnibus hinc ſatis fieri poſſe, puto, ſi plantæ iisdem fructificationis partibus gaudentes eodem quidem nomine generico appellarentur, medicinalis vero ſimul a reliquis nomine ſuo antiquo & ſimplici diſtingueretur: referantur ergo a botanicis omnes e. gr. Ve-ronicæ & Becabungæ ſpecies ad unum Veronicæ genus, diſtinguantur etiam ſpecies medicinales æque ac reliquæ, notis ſuis ſpecificis, v. gr. ſecundum LINNAEVM H. Clif. p. 8. ita, ut altera nominetur **Veronica caule repente, ſcapis ſpicatis, foliis ovatis ſerratis ſtrigoſis;** altera **Veronica foliis oppo-ſitis lævibus crenatis, floribus laxe ſpicatis ex alis:** addatur tantum his notis ſimul, quod prior ſit **Veronica**, poſterior vero **Becabunga officinarum.** Hoc eodem facili & nulli ſyſtemati contrario modo conſervari etiam poſſunt alia nomina plantarum celebria: recenſentur quidem illa inter ſynony-ma ab iis, qui eadem novis ſuis nominibus delent; ſed hac methodo longe difficilius memoriæ mandantur, præ-ſertim ab iſtis, qui non, ut ajunt, ex profeſſo rei herbariæ operam navant. Hæc autem ad normæ, quam in hiſ-ce elegi, rationem reddendam ſufficiant.

VI. In ſelectione terminorum, aprobatis auctoribus receptorum & a vaga ſignificatione liberatorum, mi-nus ſcrupoloſus fui, quum accuratam diſtinctionem ſyſtemata tantum requirant. Neminem ergo offendat, rogo, quod floris maſculini & ſtaminei, feminini & piſtillati, hermaphroditi ſeu androgyni & perfecti ſeu completi i. e. ſtaminibus & piſtillo ſimul inſtructi, piſtilli & ſtyli, calycis & perianthii, corollæ & petali, fructus & pericar-pii &c. nominibus, ceu omnibus rite definitis, promiſce uſus fuerim. Vt calycis & corollæ diſtinctio ſæpius du-bia evitetur, lubens quidem utrumque ſimplici perianthii nomine ſalutaſſem ſecundum normam & rationes, quas in Commercio litterar. phyſico-thechnico medico Norimb. a 1744. p. 358. ſeqq. fuſius expoſui, præcipue quum poſtea cognovi, cl. WACHENDORFFIVM in horti Ultrajectini indice a 1747. publicato eosdem terminos ad condendum novum ſyſtema ſuum in uſum vocaſſe: ſed quum omnes innovationes abſolute haud neceſſarias, tan-quam a ſcopo præfixo alienas, ſtudio præterii, hanc quoque neglexi. Ubi neceſſitas urgebat, novas ſpecierum definitiones proponere, cl. LINNAEVM preſſius ſequutus ſum, præcipue in foliorum figuris nominandis, vel ſaltem propterea, quod nomen ab omni dubio liberant figuræ ab ipſo additæ.

VII. Quæ ſub nominum collectione quandoque ſigillatim monenda in mentem venerunt, quæque de nonnullis plantis ſingularia accepi relata, aut ipſemet obſervavi, ea notis adjectis indicare haud ſupervacaneum duxi. Ubi & in his reliquis ab aliorum ſententia diſſentio, id neutiquam contradicendi pruritu omnibus merito ex-oſo, ſed ſolummodo cogitationes libere exponendi animo nemini infenſo factum, omniaque proinde rectius ſen-tientium judicio ſubjecta eſſe, moneo.

VIII. Ubi denique mentionem feci auctorum noſtro ævo meritis ſuis celebrium, nuda tantum eorum no-mina ſufficere propterea ratus ſum, quod illa ipſa omnibus encomiis ſuperiora habeam.

Jam vero nil reliquum eſt, quam ut huncce conatum de publica utilitate merendi cupidum ſincero voto co-miter. Faxit DEVS T. O. M. ut ille in ipſius gloriam amplificandam cedat, hujus ſtudii cultoribus gratus uti-lisque exiſtat, eorumque applauſu ulterius provehatur.

Dabam Norimbergæ pridie Nonas Martii A. R. S. cIↃIↃccL.

PLANTARVM HVIVS OPERIS BREVIS RECENSIO.

TABVLA I.

CEDRVS foliis rigidis acuminatis non deciduis, conis ſubrotundis erectis.

Cedrus magna ſive Libani conifera *I. Bauh. Hiſt. I. Libr. IX. p.* 277.

Cedrus conifera foliis Laricis *C. Bauh. pin. p.* 490.

Larix Orientalis, fructu rotundiori obtuſo *Tournef. Inſt. p.* 586.

Abies foliis faſciculatis acuminatis *Linn. Hort. Cliff. p.* 449. *VVachend. H. Ultraj. p.* 279.

Nota. Cedrus & Larix iisdem characteribus gaudent, quos vide apud LVDWIGIVM *defin. gen. plant. emend. n.* 884. ergo uno eodemque nomine appellantur; ſed Cedrus eſt nomen antiquiſſimum & celeberrimum: rectius ergo Larix adſcribitur ſpeciebus Cedri; Cedrus TOVRNEFORTII autem hoc nomine præter meritum exaltata eſt & Iuniperi ſpeciebus recte adnumeratur a LINNÆO *Gen. plant. Ed. I. no.* 764. *Ed. II. no.* 917. van ROYEN *Flor. Leyd. Prodr. p.* 89. LVDWIGIO *l. c. no.* 919. *VVachend. Hort. Ultraj. p.* 295.

TAB. II.

ANANAS aculeatus, fructu ovato, carne albida Plumerii *Tournef. Inſt. p.* 650. *Plum. Cat. ſpec. p.* 20.

Bromelia foliis ſpinoſis, fructibus coalitis caulem cingentibus *Linn. Hort. Cliff. p.* 129. *van Royen Pr. Fl. Leyd. p.* 24. *VVachend. H. Ultraj. p.* 310.

Nota. Coronæ fructuum folioſæ maiores minoresve non ſunt conſtantes, ſed pro varia caldarii temperatura calida humidaque variant: eas apud nos latius, quam in Indiis, excreſcere, annotavit DILLENIVS *Hort. Elth. p.* 26. ſed noſtris quoque in regionibus easdem ſæpius parvas manere, in maioribus præcipue fructibus, ipſimet obſervavimus.

TAB. III.

ANANAS folio vix ſerrato *Boerh. Ind. alt. P. II. p.* 83. *Rand. Hort. Chelſ. p.* 16. *Mill. Gard. Dict.*

Nota. Ananas lucide virens, folio vix ſerrato *Dill. Hort. Elth. p.* 25. *tab.* 21. & 22. ſecundum deſcriptionem multum convenit cum noſtra; ſed RANDIVS & MILLERVS utramque ſigillatim recenſent. Colorem cinnabarinum fructu augmentum capiente in viridem, & tandem eodem matureſcente in aureum mutatum fuiſſe, de ſua planta annotavit DILLENIVS. Ex MARGGRAVIO *Hiſt. rer. nat. Braſil. L. I. cap. XVI. p.* 33. & PISONE *de re Indiæ utriusque natural. & med. L. IV. cap. XXXVII. p.* 195. diſcimus, colorem hunc primo cinnabarinum, tandem flaveſcentem, pluribus ſpeciebus eſſe communem: unde colligere licet, illum accidentalem tantum eſſe.

TAB. IV.

BOCCONIA racemoſa Sphondylii folio tomentoſo *Plum. N. Gen. p.* 35. *tab.* 25.

Boeconia *Linn. Gen. Ed. I. n.* 88. *Ed. II. n.* 500. *Hort. Cliff. p.* 202. *Wachend. H. Ultraj. p.* 102.

Chelidonium maius arboreum foliis quercinis *Sloan. Cat. Iamaic. p.* 82. *Itiner. I. p.* 196. *tab.* 125. ſed absque fructu.

Cocoxihuitl ſeu Herba acris *Hernand. Mexic. p.* 158.

Character. a. totus flos nondum apertus, *b. b.* calycis duo folia caduca, *c. c.* ſtamina, quæ calyce delapſo ſponte ſua deorſum inflectuntur, *d.* ovarium, *e.* ſtylus, *f.* ſtigma duplex, *g.* capſula ſeminalis, quæ, maturo ſemine, in duas valvas ovales concavas *b.* reſolvitur & annulum ovalem *i.* relinquit cum ſtylo perſiſtente *k.* continuum, qui continet unicum ſemen nigrum ſplendens *l.* ſubſtantiæ molli ſuccolentæ rubræ *m.* innixum, &, ſolutis valvis, ex annulo propendens *n.*

Nota. PLVMERII figuræ citatæ noſtris non accurate reſpondent. Secundum illas indicavit characteres LINNÆVS *Gen. Pl. Edit. I.*, eosdem quoad floris partes correxit *Edit. II.*; ſed inter hos numerat petala quatuor anguſtiſſima, quorum in noſtris figuris veſtigium nullum reperitur, & ſtamina plurima (circiter duodecim) quorum hic ſex tantum indicantur: an error obſervatoris, an varietas naturæ?

TAB. V.

ANONA fructu luteſcente lævi ſcrotum arietis referente *Catesb. T. II. tab.* 85.

Nota. Alium, præter citatum auctorem, huius ſpeciei mentionem feciſſe, nos latet. Imaginem hanc non ad vivum exemplar, ſed ad illud, quod in ſpiritu vini aſſervatum D. CATESBY ex America Londinum ſecum attulit, ſe pinxiſſe, D. EHRETVS ipſe monuit; Catesbyanam vero figuram ad eundem quoque ductum factam eſſe, ex formæ ſimilitudine facile patet: differt tamen hæc petiolo florigero & fructifero ex uno eodemque ramo ſimul prodeunte, floribus paullo minoribus, fructibus e contrario longioribus, ſuperius craſſioribus, inferius anguſtioribus, itemque colore eorum paullo viridiori (quem ante plenam maturitatem, teſte deſcriptione, oſtendunt) nec non ſeminis figura. Ceterum interna quoque fructus facies ſeminumque diſpoſitio noſtræ imagini adpicta eſt.

TAB. VI.

Fig. I. ARALIASTRVM foliis ternis quinquepartitis, Ginſeng & Ninzin officinarum.

Araliaſtrum Quinquefolii folio maius, Ninzin vocatum, D. Sarraſin *Vaill. ſerm. de ſtruct. flor. p.* 43. *no.* 1.

Aureliana Canadenſis R. P. Lafiteau, Ginſeng Chinenſium *Catesb. App. p.* 16.

Panax foliis ternis quinatis *Gronov. Flor. Virginic. Clayt. P. II. p.* 147. *VVachend. H. Ultraj. p.* 14.

Character. a. flos cum calyce nondum apertus, *b.* flos pentapetalus expanſus a facie anteriori, *c.* idem a facie poſteriori cum calyce, *d.* piſtillum cum ovario, *e.* fructus immaturus, *f.* idem maturus ex CATESBY opere mutuatus, *g.* radix recens effoſſa, *i.* bina femina unius baccæ matura, *k.* unum a latere cum altero contiguo.

Nota. Panax nominatum eſt hoc genus a LINNÆO *Pl. Gen. Edit. II. no.* 246., unde GRONOVIVS nominis novi rationem petiit. Radix huius ſpeciei, ob virtutem medicam in Europa quoque noſtro ævo celebratiſſima, Ginſeng & Ninzin vel Niſy nomine in officinis pharmacopolarum proſtat. Quemadmodum autem Gin-Seng eſt nomen Chinenſe, Ninzin ſeu Nindſin & Nisji vero Iaponicum: ita etiam plantæ, quæ hoc nomine in China & Japonia notæ ſunt, penitus inter ſe differunt. Radicis Chinenſis ſeu Coreanæ & Japonicæ differentiam ſolide iam expoſuit BREYNIVS *diſſ. de radice Ginſem ſeu Niſi etc.*; ipſas autem plantas porro etiam ut ſpecies non ſolum unius, verum etiam diverſi generis, diſtinguendas eſſe, tunc demum innotuit, quum P. IARTOUX plantæ Chinenſis (*Lettres édifiantes & curieuſes etc. X. Recueil p.* 159. *& dans la deſcription de l' Empire de la Chine etc. par le P. du* HALDE *p.* 150.) Japonicæ vero KÆMPFERVS (*Amœnit. exoticar. faſc. V. p.* 818.) exactam deſcriptionem & figuram cum publico communicarunt: conf. cum his, quæ leguntur in *commerc. litt. Norimb. A.* 1742. *p.* 388. & locis ibidem citatis. His demonſtratis, ulteriori probatione haud opus eſt, Gin-ſeng Chinenſium & Nindſin Japonenſium virtute quoque differre, adeoque conſultum eſſe, utriusque radicem, in officinis promiſcue haud raro occurrentem, ſecundum characterem, citatis locis ſufficienter expoſitum, ſollicite explorare. Noſtra effigies eſt illa planta Chinenſis, ſed ſecundum plantam ex Penſylvania Londinum in hortum celeberrimum PETRI COLLINSON delatam ibique cultam facta, de qua iterum conf. *Commerc. litt. Norimb. l. c. p.* 391. GRONOVII *Flor. Virginic.* CLAYTON *P. II. p.* 147. & CATESBY *l. c.*

Fig. II. ARALIASTRVM foliis ternis tripartitis & quadripartitis.

Araliaſtrum Fragariæ folio minus *Vaill. Serm. de ſtruct. flor. p.* 43. *no.* 3.

Aralia foliis ternis ternatis *Gronov. Flor. Virginic. Clayt. P. I. p.* 35.

Panax foliis ternis ternatis *Eiusd. P. II. p.* 147. *VVachend. H. Ultraj. p.* 14.

b. flos eius in magnitudine aucta.

PA-

TAB. VII.

PAPAYA fructu oblongo Melonis effigie

Tournef. inſtit. p. 659. *Plum. Cat. ſpec. p.* 20.

Character. a. flos androgynus, *b.* flos femininus, *c.* fructus rudimentum diſciſſum, *d.* calyx exiguus, *e.* ſemen pelliculæ ſuæ candidæ adhuc incluſum.

Nota. Hoc plantarum genus a LINNÆO vocatur Carica *Gen. Pl. Ed. I. no.* 719. *Ed. II. no.* 913., cuius ſpeciem recenſet in *Horto Cliffort. p.* 461. illam, quæ, ut ipſemet inter ſynonyma indicat, eſt Papaya fructu Melopeponis effigie *Plum. & Tournef. l. c.*, & reliquorum conſenſu eadem, quam figuris repræſentarunt CLVSIVS *Cur. poſt. p.* 42. MARGGRAVIVS *Hiſt. rer. nat. Braſ. p.* 103. PISO *de Indiæ utriusque re nat. p.* 159. BONTIVS *hiſt. nat. & med. utriusque Indiæ p.* 96. BOYM *Fl. Sinenſ. lit. A.* PLVKENET *Phytogr. tab.* CCLXXVIII. *fig. 1.* HORT. MALABARICVS *T. I. tab.* 15. MERIAN *Inſect. Surin. tab.* 40. 62. 64. & RVMPHIVS *Herb. Amboin. T. I. tab.* 50. 51. Quemadmodum autem horum omnium figuræ earumque deſcriptiones in eo conveniunt, quod ſint huius ſpeciei 1.) folia frequentius & profundius diviſa, eorumque ſinguli lobi multo anguſtiores atque præterea per totum ambitum inſigniter ſerræ in modum inciſi, 2.) fructus rotundiores ſeu ovati atque præterea coloris flavi vel ex flavo virentis, 3.) floris figura quidem eadem, ſed color flavus notante MARGGRAVIO & PISONE, imo prorſus albus, monente BOYM & H. Malab. Auctore: ita ex hiſce noſtræ ſpeciei differentia ſatis ſuperque patet, cum qua ſola PLVKENETI *fig.* 2. *tab. cit.* aliquam ſimilitudinem, quoad foliorum ſaltem figuram, habet. Ceterum flos eius androgynus lit. a., hoc in plantarum genere a nemine hucusque obſervatus, peculiarem adhuc meretur attentionem.

TAB. VIII.

CORALLODENDRON triphyllum Americanum non ſpinoſum, foliis magis acuminatis, flore pallide rubente Houſtoun Cat. MSST. *Mill. Gard. Dict.*

An Corallodendron Americanum, foliis acutioribus Houſtoun Cat. MSST. *Rand. Hort. Chelſ. p.* 59. *no.* 8?

Nota. Hoc plantarum genus a DILLENIO appellatur Coral *Hort. Elth. p.* 20., a LINNÆO vero Erythrina *Gen. plant. Ed. I. no.* 571. *Ed. II. no.* 688. cuius plures ſpecies, non autem noſtram, recenſet *Hort. Cliff. p.* 354.

TAB. IX.

MAGNOLIA Lauri folio ſubtus albicante

Catesb. T. I. p. 39. *Dill. H. Elth. p.* 207. *Mill. Gard. Dict.*

Magnolia foliis ovato-lanceolatis *Linn. Hort. Cliff. p.* 222. *Gronov. Flor. Virg. Clayt.* P. *I. p.* 61. *van Roy. Pr. Fl. Leyd. p.* 493. *VVachend. H. Ultraj. p.* 110.

TAB. X.

LIRIODENDRVM foliis angulatis truncatis.

Liriodendrum *Linn. Hort. Cliff. p.* 223. *Gen. Plant. Ed. I. Corollar. no.* 960. *Ed. II. no.* 545. *Gronov. Flor. Virg. Clayt.* P. *I. p.* 60. *van Roy. Pr. Fl. Leyd. p.* 494. *Wachend. H. Ultraj. p.* 110.

Tulipifera arbor Virginiana *Herm. Ind. Hort. Lugd. Bat. p.* 612.

Tulipifera Virginiana, tripartito Aceris folio, media laciniata, velut abſciſſa, *Pluck. Almag. p.* 379. *Phytogr. tab. CXVII. fig.* 5. *CCXLVIII. fig.* 7. *Catesb. T. I. p.* 48.

TAB. XI.

LILIVM foliis ſparſis, multiflorum, floribus reflexis, fundo aureo, limbo aurantio, punctis nigricantibus, pedunculis ſingulis unico folio inſtructis.

Lilium foliis ſparſis, floribus reflexis, pedunculo floris uno folio notato *Gronov.*

Nota. Convenit hæc ſpecies floris magnitudine, figura & colore cum illa, cuius effigies ad manus quoque iam eſt & vocatur Lilium-Martagon Canadenſe maius maculatum, foliis longioribus *Mill.* Sed illius pedunculi binis foliis gaudent, atque hanc præterea florum numerus, ſcapi altitudo, pedunculi in pyramidem digeſti ſpecioſiſſimam reddunt. Pro ulteriori explicatione EHRETVS ipſe ſequentia retulit: Hoc Lilium primum floruit menſe Auguſto a. 1738. in horto inſtructiſſimo PETRI COLLINSON, Botanophili egregii, ubi ipſum delineavi. Excreverat in altitudinem 6. pedum cum dimidio, caule pereleganti purpureo coniformi, a baſi ima ad verticem usque circumcirca folia emittente. Planta hæc, quantum ſcio, necdum deſcripta, nec delineata eſt. Natale eius ſolum eſt Penſylvania, ut mihi indicavit celeberrimus GRONOVIVS, qui & rogatus datam deſcriptionem conceſſit.

TAB. XII.

MEADIA foliis oblongis ſerratis, floribus reflexis purpureis.

Meadia *Catesb. App. p.* 1. *tab.* 1.

Character. a. flos integer, *b.* unum ſegmentorum ſeparatum, *c.* tubus cylindraceus, *d.* locus, cui ſegmenta corollæ adhærent, *e.* ſtamina conniventia, *f.* eadem diducta cum tubo concreta, *g.* filamentum breve, *h.* anthera lanceolata, *i.* ovarium e tubo protractum, *k.* ſtylus cum ſtigmate ſimplici, *l.* ſtaminibus longior, *m.* perſiſtens & augmentum capiens, *n.* calyx ſemiquinquefidus perſiſtens, *o.* capſula ovata unilocularis, *p.* horizontaliter, *q.* verticaliter diſſecta, *r.* placenta libera cum ſeminibus adhærentibus, *s.* ſemina.

Nota. Elegans hæc planta pariter floruit in laudato horto Collinſoniano a. 1744. menſe Septembri, nata ex ſeminibus ex Virginia acceptis. CATESBY *l. c.* iam eius effigiem deſcriptionemque ſuppeditavit, novam inde genus conſtituit & a RICHARDO MEAD, Archiatro Regio & Viro de orbe litterato dudum iam optime merito, Meadiam ſalutavit, ſimulque anonymus characteres eiusdem, ſed ex ſicco tantum exemplari deſumtos, & absque figuris, fuſius expoſuit. Secundum hos antheræ ſunt didymæ, ſtylus ſtaminum longitudine, capſula bivalvis apice dehiſcens; num autem tubus ſit ſtaminum coalitus, an ad corollam pertineat, in dubio relinquitur propterea, quod in aliis deprehenſa eſt corolla a tubo ſeparata & diverſa, in aliis cum illo arcte connexa. Secundum noſtras figuras antherarum quidem ſtructura ſatis diſtingui nequit, ſtylus autem ſtaminibus longior eſt, & capſula in ipſa CATESBY deſcriptione dicitur membranacea quadrifariam in apice dehiſcens, cui etiam noſtra figura reſpondet. Quod ad tubum attinet, is omnino ex ſtaminum coalitu producitur & corollæ ſegmentis fulcrum præbet. Cum hac planta penitus convenit Auricula Vrſi Virginiana, floribus albis, Borraginis inſtar roſtratis, Cyclaminum more reflexis D. Banniſteri *Pluck. Almageſt. p.* 62. *Phytograph. tab.* CXXIX. *fig.* 6. quum vero flores dicuntur albi & folium figuræ additum delineatur integrum: ſi non pro ſpecie diſtincta, pro varietate ſaltem agnoſcenda erit. Ceterum cum his conferri quoque meretur Auricula Vrſi Myconi ſeu Verbaſcum humile Alpinum villoſum Borraginis flore & folio *Tournef. inſt. p.* 147. *H. L. Bat p.* 619. *Boerh. Ind. alt. I. p.* 228. *n.* 10., cujus hiſtoria atque effigies, ſed imperfecta, proſtat apud LVGDVNENSES *P.* 837. *I. B. III. p.* 869. & cujus mentionem, ſed pariter imperfectam, etiam fecit CLVSIVS *App. alt. Auct. p.* 7., ut & HALLERVS *Stirp. Helv. p.* 512. *n.* 6. nec non HIST. OX. *III. p.* 558., ubi vero *ſect. V. tab.* 24. falſa plane ſubſtituitur icon; naturæ propius accedit effigies MVNTINGII *Beſchr. der Aardgevv. p.* 382. *Phytogr. fig.* 113. & bona reperitur in PARKINSONI *Paradiſ. terreſtr. p.* 237. *fig.* 3., melior in PIERRE VALLET *Jardin du Roy etc. fol.* 14. cujus viliores imitationes ſunt illæ SWERTII *Florileg. P. II. tab.* 4., de BRY *Antholog. ſeu Florileg.* & MERIAN *Florileg. renov. tab.* 38.) optima &, ſi floris fructusque analyſin omiſſam excipias, perfecta nomine Saniculæ Alpinæ foliis Borraginis villoſæ inter icones egregias, quas NIC. ROBERTVS & LVD. CHATILLON pararunt (de quibus vid. SEGVIERII *Biblioth. bot. p.* 167.) quarum aliquot ſpecimina ad noſtras pervenerunt manus, & citata toto habitu, flore fructuque Meadiæ characteres externa facie adprime repræſentat.

TAB. XIII.

LILIO-NARCISSVS Africanus Scillæ foliis, flore niveo linea purpurea ſtriato Milleri *Ehret. tab. V. fig. 2.*

An Lilio-Narciſſus Zeylanicus latifolius, flore niveo externe linea purpurea ſtriato *Commel. H. Amſt. I. p. 70. tab. 37. Tournef. Inſt. p. 386. Bœrh. Ind. alt. II. p. 147. Burm. Theſ. Zeyl. p. 142. Mill. Gard. Dict.* ſeu Amaryllis ſpatha multiflora, corollis campanulatis æqualibus, ſcapo tereti ancipiti; *van Royen Prodr. Flor. Leyd. p. 36. van Wachend. H. Ultraj. Ind. p. 321.*

Nota. Lilio-Narciſſus nominatur Amaryllis a LINNÆO *Plant. Gen. Ed. I. no. 289. II. no. 321.* In quibus plantæ indicatæ, nempe EHRETI Africana & COMMELINI Ceylanica, quoad imagines valde ſibi ſimiles, conſtanter conveniant an differant, iudicent illi, quibus utramque vivam examinandi occaſio ſuppetit. EHRETI tabula foliis caret noſtræ adpictis ſed magnitudine imminuta, ex qua iudicanda etiam eſt proportio craſſitudinis ſcapi flores ſuſtinentis, eiusque partis prope foliorum ortum prodeuntis, qui præterea ex anguſta & compreſſa baſi mox valde craſſeſcit & teres fit. Ceterum monemus, unum ex bulbis, quos hoc nomine ipſe EHRETVS communicavit cum D. IOAN. GVSTAVO SILBERRAD, J. V. D. Reip. Norimb. Advocato & curioſo Botanophilo, anno ſuperiori protuliſſe ſcapum florigerum, nosque hac occaſione obſervaſſe, floris ſtructuram plane recedere a Lilio-Narciſſi charactere, dum ex ovario, ſpathæ fundo immediate adhærente, provenit tubus longiſſimus (quem manifeſte etiam delineat COMMELINI figura citata) ſtylum ſolum continens & in amplam corollam demum ſe explicans, cuius ſegmentorum baſi, non autem ovarii receptaculo, implantantur ſtamina, quo ordine ſane hic flos convenit cum Crino Linnæi, cuius floris ſtructuram delineatam dedimus in Commercio Litterar. Norimb. a. 1744. tab. V. fig. 1. 2. Sed de his alia forſan occaſione plura.

TAB. XIV.

CEREVS altiſſimus gracilior, fructu extus luteo intus niveo, ſeminibus nigris pleno *Sloan. Cat. Iamaic. p. 197. Itiner. II. p. 158. Raii Hiſt. III. dendrol. p. 22. Mill. Gard. Dict.*

a. ſemen maturum, *b.* in magnitudine aucta.

Nota. Melocacti, Cerei & Opuntiæ ſpecies ſolo Cacti nomine comprehendit LINNÆVS *Gen. Edit. I. no. 390. II. no. 466. H. Cliff. p. 181. H. Upſ. p. 119.*; ſed non omnium applauſu. Planta, quam in horto domeſtico per aliquot annos colimus, quatuor pollices alta pariter oſtendit articulum, deinde ad ſesquipedem recta aſcendit, caſu autem in vertice læſa tum ibidem, tum ex angulis infra articulum, plures emiſit ramos ſeu ſtolones recta itidem aſcendentes. Diameter trunci craſſiſſimi ſesquipollicem vix ſuperat; angulorum numerantur ſeptem, octo & novem, ſuntque depreſſi & a recta via haud parum plerumque deflectunt; lanugo ſpinæque ſunt flavæ, quæ ſatis rigidæ ætate nigreſcunt; pellicula glauco illo pulvere, quo plures aliæ ſpecies adhuc teneræ teguntur, caret hincque ſalignea viriditate ſemper nitet. Nondum noſtra planta florem excluſit.

TAB. XV.

PAVIA *Bœrh. Ind. alt. P. II. p. 260. Linn. H. Cliff. p. 43.*

Nota. Elegantem huius ſtirpis iconem & characteris definitionem primus exhibuit BOERHAAVIVS l. c. Effigies picta, ſed vilior & absque fructu, proſtat etiam in Catalogo plantarum, quem Hortulanorum Societas Londini vernacula lingua a. 1730. edidit tab. 19. An Arbor pentaphyllos Virginiana floribus ſpicatis monopetalis *Raii Hiſt. II. p. 1800.* & Saamo'-una *Piſ. Ind. utriusque Hiſt. p. 175. Pluck. Phytogr. tab. LVI. fig. 4.* ſit eadem planta, omni dubio nondum caret.

TAB. XVI.

Fig. I. **VERBASCVM** caule ramoſo, ſpica laxa, foliis inferioribus petiolatis oblongo-acutis denticulatis glabris, flore obſolete fuſco.

Blattaria folio lato vix laciniato, flore obſolete fuſco, apice piſtilli purpureo *Boerh. Ind. alt. I. p. 226.*

Blattaria flore ferrugineo *H. R. Pariſ. p. 31.*

Fig. II. **VERBASCVM** caule ramoſo, ſpica laxa, foliis inferioribus petiolatis oblongo-acutis dentatis glabris, flore obſolete flavo venis purpureis variegato.

Blattaria folio lato vix laciniato, flore obſolete flavo, apice piſtilli purpureo *Boerh. Ind. alt. I. p. 226.*

Blattaria obſolete flaveſcente colore *H. L. Bat. p. 90.*

Nota. Blattaria differt quidem a Verbaſco præter habitum peculiarem fructu rotundiori; nihilominus tamen, ob reliquam fructus & floris conformationem penitus eandem, a recentioribus ad Verbaſci genus recte refertur. Figuram ſecundam nomine Blattariæ flore ferrugineo miſit EHRETVS; ſed floris picti color cum nominato non conveniebat, & huius nominis genuinæ plantæ imaginem nobiſcum benevole communicavit HEISTERVS ab Ehretiana non niſi florum colore differentem, quare eius ſpicam florentem illuſtrationis gratia fig. I. addimus. Utraque ergo planta eſt varietas tantum unius ſpeciei, quæ foliis etiam propius ad Verbaſci quam ad Blattariæ ſpecies accedit, adeoque externo iam habitu ſuo harum limites excedit.

TAB. XVII.

MESPILVS Caroliniana Apii folio, vulgari ſimilis, maior, fructu luteo *Miller.*

Nota. Europææ vulgaris ſtirpis varietas fructu luteo videtur hæc Caroliniana, quam neque inter Carolinas CATESBY plantas, neque alibi, indicatam reperimus, ſi excipias ramuli imaginem ad hanc EHRETI ipſam factam, quam eodem nomine propoſitam ſiſtit opus illud precioſiſſimum, quod variorum curis papiliones Anglicos collectos ſtirpiumque iconibus decoratos exponit & a pictore BENI. WILKES editum proſtat Londini hoc titulo: *the English Moths and Butterflies 4. reg. p. 40. no. VII. tab. 83.* ſeu *L. I. cap. II. Claſſ. I. ſect. b. tab. 7.*

TAB. XVIII.

MVSA caudice viridi, fructu longiore falcato anguloſo *Sloan. Cat. pl. Iamaic. p. 189. Itinerar. II. p. 141.*

Muſa fructu cucumerino longiori *Plum. Nov. Gen. p. 24.*

Muſa racemo ſimpliciſſimo *Linn. H. Cliff. p. 467. van Roy. Pr. Fl. Leyd. p. 10. van Wachend. H. Ultraj. p. 322.*

Muſa Serapionis *Lob. Hiſt. p. 639.* Muſa Seraphionis ſeu Ficus Indica *Herm. Muſ. Zeyl. p. 70. Burm. Theſ. Zeyl. p. 164.*

Dudaim *Ludolph Hiſt. Aethiop. L. I. cap. 9. §. 21. eiusd. commentar. p. 139. §. 72. Scheuchz. Phyſ. ſacr. T. I. p. 108. tab. 89---91.*

Piſang & Pyſan *Meiſters oriental. Gärtn. p. 80.* Piſſang. *Rumph. Herb. Amboin. Part. V. L. VIII. cap. I. ſeqq.* quæ omnino conferri merentur.

TAB. XIX.

MVSÆ fructu longiori ſpadicis ſeu racemi fructiferi verticillus primus & ex parte ſecundus tertiusque in naturali magnitudine.

TAB. XX.

MVSÆ fructu longiori flores & fructus in magnitudine naturali.

Explic. a. flos fœcundus, 1. petalum exterius ab ovario ſeparatum, ut ſtamina ad receptaculum usque appareant, 2. petalum interius ſeu nectarium. *b.* flos ſterilis a facie exteriori, *c.* idem a facie interiori ſeu ſpadicem verſus

ſus, *d.* flos ſterilis monſtroſus, *e.* idem explicatus geminatis petalis & nectariis, cuiusmodi flores plures inter verticillos florum ſterilium reperiebantur, *f.* fructus ex verticillis ſterilium florum decerptus, quales ad perfectionem non perveniunt, *g.* fructus perfecti & maturi transverſe diſſecti pars inferior, *b.* pars ſuperior, *i.* dimidium fructus per longitudinem diſſecti, *k.* ſtylus perſiſtens.

Nota. Planta, ad cuius exemplar naturale hæ effigies factæ ſunt, floruit a. 1736. Londini in caldario Domini Baronetti IOSEPHI AYLOFFE, ubi ad ſummam perfectionem pervenit fructusque LXI. maturos protulit. Eodem anno Hartecampi prope Harlemum floruit eadem ſpecies, quam LINNÆVS ſub nomine Muſæ Cliffortianæ in peculiari libello delineatam & deſcriptam in publicum edidit, ſimulque accuratam huius vegetabilis hiſtoriam exhibuit, quam poſtea in Horto Cliffortiano p. 467. ſupplevit. Quæ nos ipſi obſervavimus, cumprimis circa floris ſtructuram variam, in Commerc. Litterar. Norimbergenſi a. 1739. p. 42. 49. 106, & a. 1741. pag. 385. 393. expoſuimus & figuris illuſtravimus. Hucusque annotata ad examen revocavit BREYNIVS Act. Ac. Cæſ. N. C. Vol. VIII. app. p. 180.

TAB. XXI.

MVSA caudice maculato, fructu recto rotundo breviore odorato *Sloan. Cat. pl. Iam. p.* 192. *Itinerar. II. p.* 147.

Muſa fructu cucumerino breviori *Plum. N. G. p.* 24.

Cenorins Luſitanorum *Acoſt. cap. IX. p.* 57. *Cluſ. exot. L. IX. cap. XLII. p.* 283. *Rumph. Herb. Amboin. Part. V. L. VIII. cap. II. p.* 130.

TAB. XXII.

MVSÆ fructu breviori ſpadix floriger in magnitudine naturali.

Expoſ. a. a. pedunculus folii, *b.* ſpadix, *c. c.* involucrum ſpathas una cum floribus coërcens vi illorum disruptum & decidens, *d. d. d.* ſpathæ revolutæ a facie interiori, *e. e.* ſpathæ flores involventes a facie exteriori, *f. f. f.* florum verticilli.

TAB. XXIII.

MVSÆ fructu breviori ſpadicis fructiferi verticilli tres priores in magnitudine naturali, cum fructibus nonnullis ex maturitate dehiſcentibus.

Nota. Hæc ſpecies a. 1739. primum in Anglia floruit in caldario Ducis de RICHMOND, ut & in horto Chelſeano eodem anno. Flores ſteriles ſeu maſculini, qui in altera ſpecie perſtiterunt, in hac deciderunt.

TAB. XXIV.

Fig. I. LYCIVM foliis linearibus, flore fructuque minore.

Lycium foliis linearibus *Linn. H. Cliff. p.* 57.

Hauſegi anguſtiſſimo folio, flore purpureo *Vaill. Cat. H. R. Pariſ. MSt.*

Rhamnus ſecundus *Weinm. p.* 216. *tab.* 864. *b.*

Rhamnus alter foliis ſalſis, flore purpureo *C. B. pin. p.* 477.

Rhamni I. ſpecies altera *Cluſ. Hiſp. p.* 66. 68. *Hiſt. p.* 109. 110. *I. B. I. p.* 32.

An Iasminoides Africanum Iasmini aculeati foliis & facie *Niſſole Ac. Reg. Sc. Pariſ. a.* 1711. *p. m.* 317. *tab.* 12. *fig. I. Dill. nov. pl. gen. p.* 159. *Mill. Gard. Dict., Mich. nov. pl. gen. p.* 224. *no.* 3.

Expoſ. a. flos integer, *b.* corollæ particula cum adhærente ſtamine, *c.* quinque ſtamina ſeparata, *d.* ovarium cum ſtylo, *e.* calyx, *f.* fructus maturus integer cum umbilico depreſſo & baccam quaſi duplicem referente, *g.* bacca a facie ſuperiori cum umbilico integro *b.* in magnitudine aucta, *i.* eadem transverſe diſſecta, *k.* ſemen magnitudine auctum.

Nota. Hunc fruticem primus deſcripſit eiusque iconem exhibuit CLVSIVS l. c.; ſed fructus nullam mentionem fecit. Quæ LOBELIVS *obſ. p.* 598. *ic.* 180. DODONÆVS *p.* 754. LVGDVNENSES *pag.* 141. & IO. BAVHINVS *l. c.* de hoc frutice protulerunt, ea a CLVSIO mutuati ſunt. COLVMNA *ἐκφ p.* 38. eundem Spinæ ſanctæ nomine deſcribens fructum rotundum parvum piſo parem definit. Effigiem noſtram ab EHRETO iam 1732. Ratisbona accepimus, ſed absque fructu, quem nos in ſeminario aſſervatum adpingi curavimus COLVMNÆ deſcriptioni omnino reſpondentem. Icon fruticis eiusque floris, quam NISSOLE l. c. accurate delineatam exhibuit, cum noſtra ſatis convenit, ſi excipias fructus ſeminisque magnitudinem maiorem, conf. *Dillen. l. c. tab.* 12.; ſed ipſe non niſi dubius affirmat, ſuam ſpeciem eſſe Rhamni prioris alteram Cluſii. Ceterum tam exiguam magnitudinis differentiam clima ſolummodo vel fruticis vigor producere poteſt.

Fig. II. LYCIVM foliis linearibus, flore fructuque maiore.

Rhamnus Afer ſpinis longis, cortice albo, fructu cœruleo *Boerh. Ind. p.* 246. *Ind. alt. II. p.* 212.

Rhamnus primus *Weinm. p.* 216. *tab.* 864. *a.*

Expoſ. a. corollæ diſſectæ & explanatæ interiora cum quinque ſtaminibus tubo adhærentibus, *b.* ſtamen ſeparatum, *c.* ovarium cum ſtylo filiformi eiusque ſtigmate bifido, *d.* fructus cum umbilico prominente, *e.* idem transverſe diſſectus, *f.* idem maturus & exſiccatus cum calyce perſiſtente, *g.* axis ſeu placenta, cui ſemina adhærent, *b.* ſemen maturum, *i.* idem in magnitudine aucta.

Nota. Hanc effigiem EHRETVS Londini paravit adſcripto nomine BOERHAVII iam allegato. Ex colore fructus adpicti primum quidem ſuſpicio nobis orta eſt, num ſit potius Iasminoides aculeatum, humile, Halimi minoris folio, flore maiori violaceo, fructu craſſiori per maturitatem flaveſcente *Mich. p.* 224. *tab.* 105. *fig.* 2.; ſed non ſolum huius corollæ tubus adhuc amplior & magis flexus, verum etiam fructus pentagonus eiusque umbilicus depreſſus pingitur. Omne præterea dubium movit fructus maturus a laudato EHRETO communicatus, quem omnino ex cœruleo purpuraſcentem & poſt macerationem in aqua fuſcum (fig. f. g. quas nos addidimus) deprehendimus, indeque concludimus, eius picturam eſſe factam ante plenam maturitatem, coloris differentis cauſſam. Ceterum ipſe BOERHAAVIVS dubius fuiſſe videtur, num hæc ut ſpecies, an ſaltem ut varietas, a priori diſtinguenda ſit. Poſtquam enim l. c. no. 3. Rhamni primi alteram ſpeciem CLVSII recenſuit & addidit, huic eundem vel ſane quam ſimillimum adeſſe, qui in Africa creſcit: no. 8. ſigillatim indicat eundem Afrum, eidemque idem CLVSII nomen allegatum, ut ſynonymum, iungit monens tamen, huic folia longiora floremque atro-purpureum eſſe. WEINMANNI figuræ noſtris apprime ſimiles ſunt.

TAB. XXV.

EHRETIA foliis alternis oblongis acuminatis, ſpica florum ſparſa, petalis reflexis albis.

Calaba folio Citri ſplendente Plumerii *Rand. H. Chelſ. p.* 38. *Mill. Gard., Dict., van Royen Prodr. Fl. Leyd. p.* 476. *van Wachend. Ind. H. Ultraj. p.* 103.

Expoſ. a. flos adhuc clauſus, *b.* idem expanſus a facie laterali *c.* poſteriori *d.* ſuperiori *e.* quinque ſtamina & piſtillum, *f.* calyx, *g.* fructus *h.* transverſe diſſectus, *i.* ſemen.

Nota. Elegantis huius ſtirpis effigiem a. 1746. accepimus Calabæ nomine ſupra indicato; ſed character eius adpictus & cum illo Calabæ *Plum. nov. gen. p.* 39. *& tab.* 18. expoſito collatus ſtatim declarabat huius nominis errorem. PLVMIER namque, qui non niſi unicam novit huius generis ſpeciem, citato nomine ſpecifico indicatam, characteris delineatione repræſentat *calycem quadrifidum; petala quatuor, duo maiora & duo minora alternatim poſita, ex anguſta baſi ſubrotunda & ob reflexos margines excavata; ſtamina plurima; fructum pollicem craſſum, ſphæricum carnoſum, oſſiculum unicum cum ſimplici nucleo includentem.* VAILLANT *Acad. R. Sc. Pariſ. a.* 1722. *p. m.* 207. idem genus, ſed novo Kalophyllodendri nomine, deſcribens eundem characterem confirmat atque præterea addit, *ex nervo, folia in duas partes per longitudinis medium dividente, ad latera excurrere nervos ſimplices pinnis ſimiles*, ex qua eleganti compage nominis rationem petiit, quam etiam, atque ſimul *folia ex adverſo bina ſeu oppoſita*, omnino manifeſtant omnes figuræ, quas ut ſpecies huius generis citat, quarum tres recenſet: prima ipſi audit Kalo-

Kalophyllodendron Americanum folio oblongo, cui, tanquam ſynonymum, iungit non ſolum Calabam folio Citri ſplendente *Plum. l. c.* (quam plantam ſine dubio ex plantis Plumerianis ſiccis recognovit) ſed etiam Anonam Americanam foliis oblongis ex adverſo binis, plurimis conſpicuis venis in parallelos ſecundum latitudinem venuſte diſcurrentibus *Pluk. Phytogr. tab. CXXXV. fig.* 3. Secundam ſpeciem nominat Kalophyllodendron Indicum folio ſubrotundo, cuius ſynonymum facit Punnam *H. Malab. T. IV. fig.* 38. & tertiam appellat Kalophyllodendrum Indicum folio & fructu minori, quod ipſi idem eſt cum Tsjerou-Punna *H. Malab. T. IV. fig.* 39. Hunc foliorum textum peculiarem, tanquam characterem hujus generis æque, ac fructificationis partium reliquos, communem etiam conſideravit BVRMANNVS *Theſ. Zeyl. p.* 130. dum a ſimilitudine cum fibris cuiusdam muſculi per longitudinem diſſecti idem genus Inophyllum ſalutavit: cuius duas recenſet ſpecies: prima eſt Inophyllum flore quadrifido, quam eleganter delineat, & non ſolum cum tertia Vaillantii ſpecie & Tsjeru-Punna *H. Malab.*, verum etiam cum Calaba Plumerii eandem declarat, licet eius figuræ tum folia ab illis figuræ PLVKENETII a VAILLANT citatæ, tum floris magnitudo & ab hac H. Malabarici & ab illa PLVMERII longe recedant, ut taceam calycem, quem hic exacte delineat BVRMANNVS vero in deſcriptione expreſſis verbis negat. Altera ſpecies eſt Inophyllum flore octifido, quam Vaillantii ſecundam ſpeciem, Punnam *H. Malab.* (ubi etiam octo petala & depinguntur & in deſcriptione numerantur) itemque Arborem indicam Mali medicæ amplioribus foliis Maderaſpatanam *Pluk. Phyt. tab. CXLVII. f.* 3. & Bintangor maritimam *Rumph. Herb. Amb. P. II. L. III. c. XXVI.* (ubi elegans eius icon tab. 71. reperitur, ſed, ut docet deſcriptio, & florum & foliorum magnitudine imminuta, ſola fructus ſigillatim adpicti magnitudine naturali ſervata) eſſe aſſerit. LINNAEVS *Pl. Gen. Edit. I. no.* 436. *II. no.* 511. huius generis nomen, a VAILLANTIO excogitatum, in Calophyllum mutavit & eius characterem exponens definit; *calycem quadripartitum deciduum, petala quatuor, ſtamina plurima; ſtylum ſimplicem cum ſtigmate capitato & fructum unilocularem*, cuius unicam ſpeciem, nomine Calophylli foliis ovatis obtuſis, ſtriis parallelis transverſalibus *H. Cliff.* 206. recenſet, & cum ſpecie tertia Vaillantii, prima Burmanni & ab his citata figura H. Malab. coniungit, in Flora eius Zeylanica vero no. 202. Calabam Plumerii etiam ut ſynonymum addit, ibidemque no. 201. ſpeciem ſecundam Vaillantii & Burmanni ſeu Punnam H. Malab. nomine Calophylli foliis ovalibus recenſens, huius quoque florem tetrapetalum, calycem vero magnitudine petalorum eſſe monet: conf. RVMPHIVS l. c., qui p. 211. ſeq. *flores* non ſolum illis *malorum Europæarum maiores*, verum etiam ita deſcribit, quod *compoſiti ſint ex* 9. *vel* 10. *albis, ſubrotundis, ſemicavatis & integris petalis, formam minoris roſæ retinentibus, quorum bina externa maxima ſint, his vero oppoſita bina alia cruciata inque horum medio quinque vel ſex alia minora extrorſum flexa* (ex quibus octo procul dubio ſunt ordinaria, reliqua vero extraordinaria, qualia plures ſtirpes luxurioſæ excludunt) *quorum cavitas iterum erigatur &c.* quæ de ſtaminibus, piſtillo & fructu addit a communi Calabæ deſcriptione non recedunt. Calophylli generis definitionem retinet porro VAN ROYEN *Flor. Leyd. Prodr. p.* 476. VAN WACHENDORFF *H. Ultraj. Ind. XIII.* 103. & LVDWIGIVS *Defin. G. Pl. emend. no.* 455. qui vero Calabæ nomen revocavit.

Ut ut autem recentiores hi auctores ſyſtematici in definiendo huius generis charactere & diſtinguendis eius ſpeciebus non omnes penitus conſentiant: nihilominus tamen ex iisdem ſatis intelligitur, noſtram effigiem & toto ſuo habitu & charactere generico ab omnibus indicatis & hucusque notis penitus differre, quo excitati ex EHRETO quæſivimus, annon in nomine adſcripto error commiſſus fuerit? Sed reſpondit, hoc ipſo nomine eam, non aliam, ſtirpem in horto Chelſeano coli: unde certiores etiam facti ſumus, nec illam, quam RANDIVS *Hort. Chelſ. Ind.* & MILLERVS in *Gardeners Dictionary* eodem nomine recenſent, aliam eſſe, licet hic characteris definitionem ex PLVMERIO addiderit, procul dubio antequam illum ipſe obſervare potuerit: quare & reliqua, quæ idem de eius propagatione per nuces ex Americæ partibus calidioribus venientes, de cultura in caldariis uti arboris Coffeæ perpetua, & de gummi maſtichis ſimili (unde Anglorum vernacula *Maſtick-tree* appellatur) ex hac ſtirpe colligendo monet, de genuina Plumerii Calaba intelligenda eſſe, conſtat. Eſſe autem noſtram ſtirpem omnino aliam, obſervarunt iam VAN ROYEN & VAN WACHENDORFF, utpote qui, licet Calophylli ſpeciem H. Cliff. locis citatis indicaverint, nihilominus Calabam Citri folio ſplendente Plumerii ſigillatim recenſent, & quidem hic p. 387. inter plantas nondum definitas, ille p. 534. inter ſtirpes vagas, claro teſtimonio, eandem hanc ſtirpem eodem nomine falſo ipſis quoque oblatam eſſe. Quum ergo huius ſtirpis character nec cum illo Calabæ PLVMERII & LVDWIGII, ſeu Kalophyllodendri VAILLANTII, aut Calophylli LINNAEI & Inophylli BVRMANNI, neque cum alio, quantum ego quidem reperire potui, conveniat: illa novum genus novo nomine diſtinguendum conſtituit. Et quum laudatus EHRETVS eius non ſolum effigiem, verum etiam characterem primus in publicum produxerit, atque præterea ſingulari ſua induſtria atque virtute botanicorum ſcholæ ſe diu iam commendaverit: ab eius nomine generis huius appellationem derivare minus dubitavimus. Sit ergo eius nomen EHRETIA, hoc charactere ab aliis ſtirpibus diſtinguenda:

CALIX: Perianthium regulare, monophyllum, ſemiſexfidum, ſegmentis acutis *a. f.* perſiſtens *g. h.*

COROLLA regularis, hexapetala; petala oblongo-lanceolata *d.* reflexa *b. c.*

STAMINA: filamenta ſex, petalorum longitudine, antheræ oblongæ *b. c. d. e.*

PISTILLVM: Ovarium globoſum *d. e.* ſtylus ſimplex *b. c. d. e.* perſiſtens g., ſtigma bifidum, *d. e.*

RECEPTACVLVM: ad baſin ovarii, *d. e.*

PERICARPIVM: bacca globoſa *g.* carnoſa, tetrapyrena *h.*

SEMINA: quatuor exigua, oblonga *i.*

Ut autem plenior huius ſtirpis hiſtoria exſtet & characteris nonnulla ab omni dubio liberentur, ſequentia idem EHRETVS, a nobis interrogatus, ſuppeditavit. Flos eſt vere hexapetalus. Styli extremum ſeu ſtigma, microſcopio præcipue conſideratum, eſt duplex. Fructus deprehenditur carnoſus, talis etiam permanet & non dehiſcit: ille, quem delineavi, ad plenam maturitatem non pervenit. De numero ſeminum ſemper quaterno e multiplici examine certus ſum. Lineam, quam per medium ductam indicat imago *h.* talem etiam ſiſtunt naturæ exemplaria. Stirps ipſa in fruticem excreſcit 4. ad 7. pedes altum, cuius habitum imminutum figura adiecta declarat; viret ſemper, & folia iunioris rami talem obtinent magnitudinem, ſtructuram & colorem, qualem a facie eorum ſuperiori & inferiori adpinxi. Per æſtatem libero aeri exponitur & menſe Maio floret; quandoque vero iam Martio menſe in caldario, in quod brumali tempore transfertur, ibidemque fovetur eo caloris gradu, quo Aloës ſpecies conſervantur. Educatus eſt hic frutex ex fructu, quem beatus nunc MILLAR, Chirurgus, Carthagine nova miſit nomine Calabæ indicato, quo hucusque hic locorum gaudet. Ceterum frutex hic nullum fundit gummi, neque etiam cortex eius foliaque maſticata ullum produnt peculiarem ſaporem vel odorem, quo pariter flores, quantum memini, carent.

TAB. XXVI.

PALMIFOLIA femina.

Palmæ folio planta acaulos, fructu clavato polypyreno *Houſt.*

Expoſ. a. clava ſeu ſpica feminæ per axis longitudinem diſſecta, ubi diviſio & inſertio fructificationis partium feminearum conſpicitur; *b.* eiusmodi pars ſeparata, cuius petiolus tegitur capitulo oblongo-quadrato & (ut videtur) fungoſo, utrinque grano ſeminifero fœto, introrſum ſeu interiori eius ſuperficiei adnato; *c.* clava ſeu ſpica maris pariter per axis longitudinem diſſecta, ubi diviſio & inſertio fructificationis partium maſculinarum apparet; *d.* una ex his partibus ſeparata in magnitudine naturali *e.* aucta, ubi capitulo fungoſo, pyramidali inverſo utrinque adhærent plures ſquamulæ, procul dubio maſculino polline refertæ; *f.* eiusmodi ſquamula ſeparata.

Nota. Rariſſimam hanc & novi generis plantam alibi iam deſcriptam vel depictam eſſe, nondum reperire licuit. Mas & femina, ſeparatam conſtituit plantam, quæ utraque educata & ad fructificationis partium perfectionem perducta eſt Londini in Domini

Baronis PETRI (Lord PETERS) horto; ſed quum hic peregrinis plantis refertiſſimus & ad easdem alendas inſtructiſſimus, poſt obitum Perilluſtris huius Viri præmaturum, triſte ulterioris culturæ fatum expertus ſit, hæc quoque planta periit, nec amplius nunc Londini reperitur, quare ex D. EHRETO momenta characteris plura, quam quæ figurarum harum ope nobiscum communicavit, expiſcari haud potuimus.

TAB. XXVII.

PANCRATIVM foliis enſiformibus, ſpatha multiflora, floribus magnis candidis fragrantibus.

Pancratium Americanum floribus albis, odore balſami Gileadenſis *Rand. H. Chelſ. p.* 150.

Nota. Huius plantæ effigies valde ſimilis eſt illi, quæ vocatur Narciſſus totus albus, latifolius, polyanthos maior, odoratus, ſtaminibus ſex e tubi ampli margine extantibus *Sloan. Cat. pl. Jamaic. p.* 115. *Itinerar. I. p.* 244. ſeu Narciſſus Americanus, flore albo multiplici, odore balſami Peruviani *Tournef. Inſtit. p.* 358. & Pancratium Americanum floribus niveis odore balſami Peruviani *Mill. Gard. Dict.* cuius imago proſtat apud *Martyn. Plant. rar. hiſt. p.* 27. ſed foliorum florumque figura & magnitudine multum differt.

TAB. XXVIII.

PANCRATIVM foliis amplis ovatis acutis petiolatis, ſpatha multiflora floribus minoribus candidis fragrantibus.

Pancratium Americanum, folio latiſſimo, floribus albis odoratis *Rand. Hort. Chelſ. p.* 150.

An Narciſſus Amboinenſis folio latiſſimo rotundo, floribus niveis inodoris *H. Amſtel. I. p.* 77. ?

Nota. Horti Amſtelodamenſis icon foliis multum convenit cum noſtra, floris autem figura & odoris abſentia minus: forſan in naturæ exemplaribus differentia tanta non occurrit. Recenſetur a MILLERO l. c. Pancratium Americanum foliis latiſſimis, floribus niveis maioribus, odore balſami Peruviani, quod idem cum noſtro erit, ſi nulla differentia in floris magnitudine reperiatur.

TAB. XXIX.

PODOPHYLLVM lobis foliorum truncatis & laciniatis, flore expanſo polypetalo.

Anapodophyllum Canadenſe *Catesb. T. I. p.* 24.

An Podophyllum *Linn. H. Cliff. p.* 202. *Gronov. Flor. Virg. Clayt. I. p.* 57.

Anapodophyllum Canadenſe Morini *Tournef. Inſt. p.* 239. *Bœrh. Ind. alt. II. p.* 72. *Rand. H. Chelſ. p.* 16. *Mill. Gard. dict.*

Dentaria monophyllos, Anapodophyllon Pariſienſibus *Moriſ. H. R. Bleſ. auct. p.* 258.

Aconitum humile bifolium, ſive Aconitifolia flore albo unico Leucoii campanulato, fructu Cynosbati *Menz. pugill. pl. rar.*

Aconitifolia humilis flore albo unico campanulato, fructu Cynosbati *Eiusd. tab.* 11.

Herbæ Paris affinis bifolia, Pomum maiale Londinenſibus *Raii Hiſt. I. p.* 671.

Papaveri affinis montana Aconitifolia, Ranunculi nemorenſis radice *H. L. Bat. p.* 478.

Ranunculi facie planta peregrina *H. R. Pariſ. p.* 153.

Nymphææ congener Alpina, Anapodophyllum Canadenſe Morini *Pluk. Almag. p.* 267.

Solanum pomiferum monophyllon umbilicifolium in ſex plus minus profundas lacinias diviſum Baniſteri Cat. MSt. *Pluk. l. c.*

Solano congener monophyllum aut diphyllum, Aconiti folio, flore albo *Hiſt. Ox. III. p.* 533.

Expoſ. a. flos integer a facie poſteriori, *b.* fructus integer maturitati proximus *c.* transverſe *d.* ſecundum longitudinem diſſectus cum placenta, cui adhærent ſeminum rudimenta, *e.* ſemen maturum a facie laterali *f. g. a facie* utraque lata.

Nota. P. MORIN in libello, cui titulus: *Remarques neceſſaires pour la culture de Fleurs &c. à Paris* 1667. 12. huius plantæ non niſi nudo Anapodophylli nomine mentionem facit *p.* 33. & 52. Num eius patriam alio in opere idem indicaverit vel deſcriptionem eiusdem dederit, nos latet. Primam eius, ſed adhuc mancam, deſcriptionem invenimus in MORISONI *H. R. Bleſ. l. c.*, accuratiorem vero poſtea, unacum integræ plantæ primi, ſecundi & tertii anni (ubi demum florere incipit) omniumque fructificationis partium effigie exhibuit MENZELIVS *l. c.* ſecundum quem flos pendulus ſeu nutans eſt, campanulatus & hexapetalus (quem numerum nec reliquorum auctorum deſcriptio ſuperat) duodecim ſtaminibus præditus, fructus vero per maturitatem flaveſcit parumque rubeſcit. Ab hoc hiſtoriam eiusdem plantæ mutuati ſunt RAIVS & BOBARTVS, Partis III. Hiſt. Ox. auctor, quibus adhuc accedit brevis BANISTERI deſcriptio a PLVKENET *l. c.* evulgata. Figuræ floris fructusque, quas TOVRNEFORT *Inſt. tab.* 122. deinde produxit, cum Menzelianis proxime conveniunt, ceterum autem maiori induſtria elaboratæ ſunt. Demum iterum comparuit huius plantæ effigies in opere Catesbiano cum breviſſima & mutila eius deſcriptione, cui figuræ, bina tantum folia cum flore a facie anteriori ex ſinu eorum prodeunte repræſentanti, prorſus ſimilis eſt noſtra; differt autem a Menzeliana & Tournefortiana foliorum lobis non bifidis, fructu maiori, flore pariter maiori expanſo & polypetalo, itemque ſtaminum numero, quorum 20. ſæpe numeravit LINNAEVS *Gen. Pl. Ed. I. no.* 426, *II. no.* 498. Ceterum aliam ſpeciem recenſet TOVRNEFORT l. c. p. 665. nomine Anapodophylli Canadenſis Ricini folio Saraceni; ſed hæc cum altera eadem eſt, teſte VAILLANT a BOERHAVIO l. c. allegato. Quum ergo flos, fructus & folia Catesbianæ & noſtræ figuræ nonnihil differant ab illa Menzeliana & Tournefortiana, dubii ſumus, numne conſtans varietas huius plantæ reperiunda, & ſecundum illam ſynonyma ſupra indicata diſtinguenda ſint. Id unicum adhuc monendum eſt, florem ante expanſionem involutum eſſe calyce ſpathiformi caduco, monente LINNAEO l. c., quem etiam, imperfecte tamen, iam adumbravit MENZELIVS tab. cit. in flore nondum aperto: huius involucri delapſi veſtigium repræſentare videtur noſtra fig. *a.* pone petalorum inſertionem.

TAB. XXX.

CEREVS teres multangularis ſpinoſiſſimus articulatus ramoſus ſerpens, flore purpuraſcente diu noctuque aperto, fructu exiguo rubente.

Cereus minimus ſcandens polygonus, ſpinoſiſſimus flore purpureo Milleri *Ehret. tab. II. fig.* 3.

Cereus minimus, articulatus, polygonus, ſpinoſus *Bœrh. Ind. Alt. I. p.* 294. *no.* 12. *H. Carlsruh. a.* 1747. *edit. p.* 15. *no.* 173.

Expoſ. a. flos integer, *b.* idem per longitudinem diſſectus, *c. c.* ovarium, *d. d.* perianthii ſeu calycis ſegmenta ima piloſa, *e.* ſtylus ſtaminibus multo brevior, *f.* eius capitulum in magnitudine aucta antherarum pulvere obſitum, *f*.* idem ab hoc pulvere purgatum in naturali & aucta magnitudine, *g. h.* idem alius conformationis in naturali & aucta magnitudine, *i. i.* aliquot ſtamina eorumque nexus cum corolla, *k.* ſtaminis apex ſeu anthera in magnitudine aucta, *l.* caulis craſſitudo, *m.* novus caulis propullulans, *n.* fructus immaturus, *o.* maturus in magnitudine naturali, *p.* transverſe ſectus cum ſeminum ordine, *q.* ſemen ſeparatum, *r.* in magnitudine aucta.

Nota. Quamprimum hanc Cerei ſpeciem pinxit EHRETVS, illam etiam ipſe æri incidit & vivis coloribus illuſtratam publicavit, a tribus vero annis eandem tabulam, additis aliis more poſtea cœpto plantis, operi ſuo continuando no. II. inſeruit hac ſubiuncta hiſtoria ex Anglico idiomate traducta: *curioſis digna hæc planta ex horto regio Pariſienſi cum horto medico Chelſeano a.* 1740. *communicata elegantiſſimum ſuum florem produxit menſe Aprili a.* 1745. *Perianthium compoſitum eſt ex ſegmentis variis ac irregularibus, flos autem conſtat ex duodecim petalis regularibus externe & interne egregii coloris purpurei. Ex centro floris ſurgit ſtylus pariter purpureus, copioſiſſimis ſtaminibus circumdatus, quorum fila iterum purpurea, apices vero lutei ſunt. Hic flos interdiu ſe explicat & per tres quatuorve dies apertus manet, quo a reliquis huius generis ſpeciebus ſe diſtinguit, quarum omnium flores non niſi noctu ſe aperiunt & nunquam ultra octo vel decem horas vigorem ſuum conſervant.* Hactenus ille. Ceterum quum idem ſingulis tribus operis ſui tabulis addat aliam, qua floris fructusque partes characteriſticas repræſentat, harum loco tab. IV. tres tantum huius ſtirpis alabaſtros ſeu floris nondum explicati globos ætatis magnitudine & figura differentes ſiſtit. Effigies, quam nos producimus, facta eſt ad exemplar authenticum, ut loquuntur, ſeu primum picturæ, quam laudatus Auctor ſuper membrana nitidiſſime repræſentavit & paullo poſt nobiscum communicavit, cui deinde, occaſione favente, manu PAYERLINI addendas

cura-

curavimus reliquas figuras ſuperius explicatas, Ehretianam, characteris præcipue intuitu, illuſtrantes. Coluit namque D. D. SILBERRAD, in expoſitione Tab. XIII. iam laudatus, Cerei ſpeciem, ex horto Carolsruhano acceptam, tam optato ſucceſſu, ut iteratis iam vicibus non ſolum flores excluſerit, ſed etiam fructus maturos produxerit. Hanc ſtirpem eiusque florem non ſolum cum pictura EHRETI, verum etiam cum viva planta (cuius ſobolem ipſe unacum effigie transmiſit, quamque hucusque vegetam conſervavimus) conferentes deprehendimus, utramque in eſſentialibus penitus inter ſe convenire, in accidentalibus vero paullulum differre. Stirps namque Londino accepta ſibique relicta ex uno quaſi caudice plurimos interea produxit caules cylindraceos infirmos, quorum longiſſimi pedem nondum ſuperarunt, ita præterea quaſi articulatos, ut ad palmæ circiter diſtantiam, ſingulis annis productam, digiti minimi craſſitudinem acquirerent, deinde vero ad breve ſpatium calamum ſtramineum vix ſuperarent, atque præterea ex ipſis his intervallis haud raro ramos laterales emitterent. Color illorum ſplendens, ſeu nullo polline obfuſcatus, & nunc intenſius viridis nunc magis flavus eſt. Superficies inæqualis redditur a plurimis (9--12) angulis recta excurrentibus, ſed leviſſime tantum elevatis, qui ſinguli, alterno tamen ordine, ad minima intervalla exaſperati ſunt exiguis ſpinarum ex flavo rubentium & flexibilium faſciculis ſeu ſtellulis ita, ut tota ſtirps iisdem obſita quaſi appareat. Ceterum nullum huc usque exclúſit florem. Huic ſtirpi in omnibus annotatis reſpondet illa Carolsruhana, ſi excipias ſpinas magis flaventes, caulis craſſitudinem *l.* & longitudinem: hæc namque quinque pedibus iam maior eſt, illa pollicem facile æquat. Notandum autem, cultorem ramos eius omnes radicales & laterales, ad floris excluſionem juvandam, ſollicite ſemper removiſſe, hocque modo etiam voti ſui compotem factum fuiſſe adeo, ut una ſtirps 10. & plures flores pedetentim verno tempore, imo æſtate vergente novos adhuc, produceret, fructusque altero anno perficeret. His exploratis & cum Ehretiana effigie collatis, obſervavimus ſequentia: 1) flores hi omnes illis Ehretianæ effigici paullo minores erant; 2) color eorundem, tum in caldario tum ſub dio provenientium, deprehendebatur magis dilutus, ceterum ex cæruleſcente tam amœne purpuraſcens nitensque, ut omni arti impoſſibile fuerit, eundem perfecte repræſentare; 3) color, ſitus & figura ſegmentorum corollæ & perianthii ægre a ſe invicem diſtingui poterant, ut taceamus huius infima ſegmenta piloſa in figura Ehretiana non obſervanda; 4) ſtaminum filamenta *i. i.* non purpurea ſed pallida apparebant; 5) ſtylus *e.* ſtaminibus brevior erat; 6) eius extremum longe aliter deprehendebatur conformatum, quam in reliquis huius generis ſpeciebus; quarum flores hucusque depicti reperiuntur: in illis namque multifidum & radiorum inſtar expanſum eſt (conf. tab. noſtra XIV. XXXI. & XXXII.) in hac format capitulum ſimplex oblongum & obſcure trigonum *f. f**, cuius veſtigium in Ehretiana quoque figura apparet, ut taceamus, idem capitulum in nonnullis floribus ſolummodo oblongum *g. h.* repertum fuiſſe; 7) ovarium *c.* magis pallebat; 8) flores quoque diu noctuque per aliquot dies explicati perſiſtebant, tandemque cadentes, ad unum omnes, relinquebant ovarium vegetum viridiorem colorem *n.* induens, quod altero demum vere, mole interea parum auctum, nova coloris viridis in flavo-rubellum *o.* mutatione maturitatem indicabat & diſſectum *p.* ſemina perfecta *q. r.* exhibebat fuſca. Leves hæ differentiæ, dummodo vel ipſæ ſub circumſtantiis variis conſtantes ſint, monent, ambas has ſtirpes non ut ſpecies, ſed ut varietates maxime affines, eſſe conſiderandas: licet namque Bœrhaviana ſpecies in RANDII Horti Chelſeani indice atque MILLERI dictionario iam recenſita reperiatur, antequam altera Pariſienſis ut nova ibidem recipiebatur & ſpecifico nomine diſtinguebatur; noſtra tamen opinio confirmatur ex eo, quod in nova Horti Carolsruhani catalogi editione ſupra indicata citato nomini Bœrhaviano ut ſynonymum iungitur Cereus ſcandens minimus polygonus ſpinoſus ex H. R. Pariſienſi. Omne autem dubium tandem ſuſtulit obſervatio ſuperiori anno 1751. contingens. Coluit namque interea temporis laudatus D. D. SILBERRAD ſobolem ſtirpis Londino acceptæ eodem modo, quo antea illam ex Horto Carolsruhano miſſam tractavit, qua ratione non ſolum illa huic & longitudine & craſſitudine immo toto habitu caulium valde ſimilis reddebatur, verum etiam flores protrudebat omnibus notis ſupra fuſius deſcriptis reſpondentes adeo, ut utramque ſtirpem ſimul floribus ornatam ſollicite examinantes ne minimam quidem differentiam in omnibus eius partibus deprehendere potuerimus, ex quo liquido conſtat, differentias ſeu varietates inter utramque ſtirpem, ſi quæ contingant, nonniſi ab ætate, vel cultura, vel etiam tempeſtate varia produci.

TAB. XXXI.

CEREVS gracilis ſcandens ramoſus plerumque ſexangularis, flore ingenti atque fragranti, calice aureo, corolla argentea, fructu ex carneo flaveſcente.

Cereus ſcandens minor polygonus articulatus. *Herm. Parad. Bat. p.* 120. *Bœrh. Ind. p.* 181. *no.* 8. *Ind. alt. I. p.* 293. *no.* 11. *Tilli H. Piſ. p.* 37. *Rand. H. Chelſ. p.* 84. *no.* 10. *Mill. Dict.*

Cereus Americanus maior articulatus, flore maximo noctu ſe aperiente & ſuaviſſimum odorem ſpirante *Volck. Heſp. I. edit. Germ. & Lat. p.* 233. *tab.* 234.

Cactus ſcandens, angulis quinque *Linn. H. Upſ. p.* 121. *no.* 11. pluribusve obtuſis *H. Cliff. p.* 182. *no.* 10.

TAB. XXXII.

CEREI gracilis ſcandentis &c. flos & maturus fructus.

Expoſ. *Fig. 1.* flos penitus expanſus a facie anteriori 2. idem iam marceſcens per longitudinis medium diſſectus, *a.* ovarium ſeu fructus rudimentum, *b. b.* receptaculum ſeu locus, ubi ovarium cum flore iungitur, *c. c.* ovarii tubercula piloſa & folioſa, *d.* eius cavum, *e. e. e. e.* tubi calycis foliola, *f. f.* eius ſegmenta abſciſſa, *g. g.* corollæ petala, *b. b. i. i.* ſtamina, quorum maxima pars *b. b.* ex tubi lateribus oritur, reliqua *i. i.* eius faucibus adnata eſt, *k. k.* ſtylus ex ovarii vertice proveniens & inclinato ſitu ad corollæ oras ferme pertingens, *l.* eius extremum in plures fimbrias ſeu ſtigmata diviſum, fig. 3. eiusdem extremi fimbriæ expanſæ cum ſtyli cavitatis orificio, 4. fructus maturus integer cum floris tubi aridi reliquiis, 5. idem fructus per longitudinis medium diſſectus, ubi ſemina matura plurima in gelatina albicante & viſcoſiſſima nidulantia apparent, 6. 7. ſemina matura, 8. 9. quoddam eorum iam germinans, 10. 11. ejusmodi germinis plantula cum duobus cotyledonibus ſeu foliis ſeminalibus, ſingula in magnitudine naturali & aucta.

Nota. Viliſſimæ huius ſtirpis flos ex eo tempore, quo primum in Europa ſe conſpiciendum præbuit, non ſolum ob ſingularem ſuum ſplendorem & fragrantiſſimum odorem, verum etiam ob plures alias rationes omnibus ſemper admirationi fuit. Nec defuerunt, qui eundem & deſcripſerunt & depinxerunt. Unica adhuc huius ſtirpis pars ad perfectionem perducta pro abſolvenda eius hiſtoria deſiderabatur, fructus nimirum maturus. Felici tandem ſidere contigit, ut Gedani in horto D. D. IO. PHIL. BREYNII talis enaſceretur. Is namque per 25. annos coluit eiusmodi ſtirpem quotannis ferme flores excludentem, ſed omnes poſt octiduum unacum fructus rudimento cadentes; anno vero 1748. d. 27. Julii horum quidam prodiit, qui marceſcens ſingulari fato reliquit fructum integro poſt anno plenam demum maturitatem conſequutum. Quamprimum laudatus Vir pro amicitia ultra duo iam luſtra humaniſſime conſervata de eodem nos certiores reddidit, accuratam eius deſcriptionem & imaginem ut nobiscum benevole communicet, petivimus, quarum etiam paullo poſt nos participes fecit, quare imagines vivis coloribus repræſentatas ipſo annuente huius tabulæ XXXII. fig. 4--11. in publicum producimus. Imago, quam tab. XXXI. ſiſtit, a D. EHRETO Londini anno 1746. facta eſt atque repræſentat tres huius ſtirpis caules unacum radicibus vel claviculis in libero aëre prorumpentibus: unus horum caulium florem perfecte explicatum, ſecundus expanſioni proximum, tertius alium adhuc imperfectiorem ſuſtinet. Accepimus autem ab eodem iam a. 1734. menſe Septembri, dum Pariſiis adhuc degebat, aliam huius ſtirpis florentis imaginem, ſuper charta huius norma ampliore repræſentatam, cum fructu ſimul adpicto, cuius imaginem Londinenſi imagini adpingendam curavimus. Reliquit autem nos incertos, num hæcce imago ſecundum fructum maturum facta fuerit (quia neque litteris hoc teſtatum fecit, neque interioris ſtructuræ imaginem addidit) usque dum ex collatione cum Breynianis imaginibus hæc cognoſcere liceret. Quoniam ergo hæ Breynianæ imagines non ſolum externam faciem, verum etiam internam compagem ſeminumque maturorum & ex parte iam vegetantium figuram ſimul exhibent: huic laudato viro plenam nunc omnium Cerei generis characterum cognitionem debemus. Vt autem floris huius venuſtiſſimi interior etiam ſtructura magis cognoſci queat, tabulæ XXXII. iunximus figuras 1. 2. 3. quas ad naturæ exemplaria depingendas curavimus: coluimus namque pariter in horto domeſtico eiusmodi ſtirpem & plures eius ſoboles per 20. iam annos, unde nobis harum parandarum occaſio enata eſt. Qui plura de hac ſtirpe ſcire avet, adeat Academiæ Cæſareæ N. C. Actorum Vol. IX. Append. p. 175. ſeqqu. ubi non ſolum ſæpius laudatus BREYNIVS fructus maturi, verum etiam nos totius

ſtirpis eiusque floris hiſtoriam & deſcriptionem variis obſervationibus & neceſſariis figuris illuſtratam, itemque huius generis characteres, fuſius expoſuimus.

TAB. XXXIII.

MAGNOLIA foliis oblongis ſubtus ferrugineis, flore ampliſſimo candido, baccis rubellis.

Magnolia maximo flore, foliis ſubtus ferrugineis *Rand. Hort. Chelſ. p.* 123.

Magnolia altiſſima Lauro-Cerafi folio flore ingenti candido *Catesb. Tom. II. p.* 61.

TAB. XXXIV.

HVRA *Linn. H. Cliff. p.* 486. *tab.* 34. *van Roy Prodr. Fl. Leyd. p.* 232. *Van Wachend. Ind. H. Ultrai. p.* 383.

Hura, the Sand-box tree, *Hughes natural hiſtory of Barbados p.* 114.

Hura, the Sand-box tree, Iamaica Walnuts, Warnelia, Havelia *Mill. Gard. Dict. app. ſecund. edit. Germ. edit. p.* 410.

Hura Americana Abutili Indici folio *Commel. H. Amſt. II. p.* 131. *tab.* 66. *Rand. H. Cliff. p.* 98.

Baruce ex Hura celſa arbore *Cluſ. exot. p.* 47.

Baruce fructus ex pluribus nucibus arboris Huræ *I. Bauh. Hiſt. T. I. p.* 333. *Sloan. Cat. Pl. Iamaic. p.* 214. *Itinerar. Vol. II. p.* 186. *n. VIII.*

Qvavhtlatlatzin ſeu arbor crepitans *Hernand. Hiſt. Mex. p.* 88.

TAB. XXXV.

Fig. I. HVRAE Tab. XXXIV. floris fructusque partes.

Expoſ. a. floris maſculi ſeu ſtaminei iulus coniformis & ſquamoſus cum ſuo petiolo in naturali magnitudine & forma, qua primum prope florem femineum in conſpectum venit; *b.* idem iulus adultior cum ſquamis magis iam diſtinctis atque cum veſtigiis coccineorum corpuſculorum prorumpentium; *c.* idem iulus integer, ex cuius parte ſuperiori ſub ſquamis magis evolutis iam prodierunt hæc corpuſcula; *d.* idem iulus per longitudinis medium diſſectus, ubi ſquamarum & corpuſculorum nexus cum petiolo, ſeu potius receptaculo, apparet; *e.* ſquama cum adhærente corpuſculo ſeparata in magnitudine naturali; *f.* eadem lentis ope aucta, ut clarius appareat fabrica corpuſculi ex ſingulis ſquamis orientis cylindracei ſeu potius ovalis, duobus apicum ſeu antherarum ordinibus onuſti & in extremo bifurcati; *g.* ſquama reflexa auctæ magnitudinis interius concava; *h.* eadem ab exteriori facie viſa cum ſitu apicum in magnitudine aucta *i.* naturali; *k.* eadem ab interiori facie viſa; *l.* flos femininus integer a facie ſuperiori *m.* laterali *n.* per longitudinem diſſectus; *o.* pedunculus cum calyce; *p.* ovarium a calyce denudatum, *q.* pedunculus & calyx, remoto ovario, per longitudinem diſſectus, *. locus, ubi ovarium adhæret, *r.* ovarium transverſe *s.* longitudinaliter diſſectum, *t.* fructus maturus ex multis capſulis compoſitus a facie ſuperiori cum eius umbone perforato, *u.* capſula ſeparata a facie interiori in duas valvas dehiſcens, 1. una valva a facie interna, 2. altera a facie externa, 3. huius ſuperficies plana vicinæ capſulæ contigua, 4. margo elevatus, *ſ.* pars libera quadantenus convexa & involucro membranaceo adhuc tecta, 6. foramen, *x.* eadem valva ſeparata, 7. eius pars convexa denudata, 8. involucrum membranaceum ſeparatum, 9. inciſura pro formando foramine ſuperiori, *y.* eadem valva a facie interna, 10. inciſura, 11. margo planus, qui cum altera valva committitur, 12. nucleus in ſitu, *z.* utraque valva adhuc coniuncta transverſe diſſecta, 13. craſſitudo partis convexæ, 14. margo elevatus, 15. latera contingentia, 16. foramen ſupremum, *α.* vaſa ſeu inſignes fibræ involucri externi ad valvarum commiſſuras, *β.* fulcrum capſularum, 1. eius corona ſuperior foramina obtegens, 2. axis, cui capſulæ adhærent, 3. corona inferior capſulis ſubiecta, 4. pedunculus, *γ.* nucleus ſeparatus, *ſ.* eius corticis margo compreſſus, *δ.* nucleus transverſe diſſectus.

Nota. Stirpis huius rariſſimæ fructus Baruce nomine diu iam Europæis notus & a CLVSIO atque ex hoc a IO. BAVHINO ſatis apte deſcriptus atque delineatus eſt; ipſius autem ſtirpis primam deſcriptionem, ſed imperfectam, ſuppeditavit, & rami ſimul figuram, ſed valde imminutam, exhibuit HERNANDEZ absque tamen flore & fructu: hunc quidem ſatis clare deſcripſit, illius vero ne quidem mentionem fecit, gemmas tamen in icone leviter indicavit. In Europa ex nucleo enatam ſtirpem vidit, deſcripſit & delineavit CASP. COMMELINVS, ubi etiam fructus integri, utriusque putaminis capſulæ & nuclei ſatis laudabilem figuram & exactam deſcriptionem addidit. Poſtea huius arboris eiusdemque fructus mentionem etiam fecit SLOANE, ſed ſine deſcriptione & icone. PHIL. MILLERVS unicam vidit ſtirpem florentem in horto D. Baron PETERS alibi iam laudato, ex qua procul dubio defumſit floris feminini deſcriptionem in characteris explicatione; ſed maſculini nullam adhuc fecit mentionem. Addit porro in deſcriptione, arborem adſurgere ad 14. 16. pedum altitudinem, folia æque ac iuniores ramos ſucco lacteo turgere, patriam eius novam Hiſpaniam, inde ſemina in inſulam Barbados delata, & ex his arbores prognatas in curioſorum hortis poſtea cultas eſſe. Anno 1737. accurata eius delineatio comparuit curante LINNAEO in H. Cliffortiano, ubi etiam delineati ſunt flores feminini eodem anno in arbore 6. pedum menſe Octobri primum obſervati: additur, hanc ſtirpem ætatis provectioris aculeos aſſumere, quos etiam icon indicat. Secundum hos flores generis huius characteres definivit idem *Gen. Pl. Ed. I. n.* 933. *II. n.* 1013. ex hoc *van Royen Pr. Fl. Leyd. p.* 232. *Ludvv. no.* 1045. ſed adhuc imperfectos. Anno ſequente Londini in horto Chelſeano idem flos menſe Novembri provenit, quo ipſo anno noſtram imaginem EHRETVS paravit & nobiscum communicavit. Quum hæc, præter flores hos nullis ſtaminibus nulloque ſtylo præditos, peculiarem adhuc iulum indicaret, ſtatim nos ſuſpicati ſumus, flores hactenus obſervatos femininis acceſſuros, iulum autem maſculinos producturum eſſe, id quod etiam D. EHRETO ſignificavimus, eumque ſimul excitavimus, ut in hos æque, ac illorum ſtylum, ulterius ſollicite inquireret. Feliciter accidit, ut eadem horti Chelſeani ſtirps anno 1745. jam menſe Auguſto flores excluſerit, propterea facilius perfecerit & expectationi ſatisfecerit eousque, ut iuli flores omnino maſculinos ad perfectionem quoque perduxerit, quos pariter ab eodem depictos paullo poſt accepimus, utrosque ipſe vero ſimul in tabula Operis ſui XII. publico iam expoſuit. Tandem huius ſtirpis icon & deſcriptio inſerta reperitur operi illi, quod ſuperiori demum anno Londini in folio maiori prodiit hoc titulo: *the natural hiſtory of Barbados by* M. GRIFFIT HVGHES, *p.* 114. *tab.* 5., quæ continet iconem rami cum unico flore feminino & iulo maſculino, ut & fructus integri pariter a noſtro EHRETO, ut ſubſcriptio docet, delineatam & ſculptam, quid? quod ſecundum exemplar ab ipſo publicatum factam, omiſſa analyſi fructus & utriusque floris; cuius deſcriptio brevis pariter ex EHRETI potius quam propria obſervatione deſumta videtur. Singulare autem eſt, quod colorem floris maſculini rubeolum (*reddish*) feminini vero rubrum (*red*) definiat. Memorabile porro eſt, quod idem de celeri & ingenti augmento craſſitudinis & altitudinis huius arboris, præcipue ad locum umbroſum & udoſum plantatæ, refert & tribus exemplis illuſtrat, ceterum etiam brevium, attamen craſſorum aculeorum, quibus truncus copioſe obſitus eſt, meminit. Quod porro ad noſtram imaginem attinet, folia eius teneriora & in ambitu minus criſpa apparent, quam in tabula Ehretiana citata, procul dubio ob ætatem iuniorem, quare etiam totus caulis viridis adhuc eſt, cuius maxima pars ibidem fuſco iam cortice obducta & a reliqua herbacea parte diſtincta conſpicitur: aculei autem in neutro exemplari apparent, quos tamen Commeliniana figura ſtirpis unius anni iam depinxit, præcipue ad ſingulos petiolos foliorum, quæ in iſta figura laciniata potius quam inciſa repræſentantur. An corpuſculum, cui adhærent antheræ, primum viride ſit, ut monſtrat fig. *h. k.* deinde vero rubrum evadat ſecundum imaginem *e. f.*, ab EHRETO explicatum haud accepimus. Tres antherarum ordines indicat EHRETVS in deſcriptione, duos tantum in ipſa imagine, quot etiam numerat HVGHES, qui addit, has antheras continere farinam albidam. Femininus flos, referente EHRETO, ſolitarius provenit ex rami vertice, & prope hunc iulus, ambo absque involucro, capituli aciculæ magnitudine; gemmæ vero foliorum obductæ ſunt ſtipulis dilute ferrugineis, quarum duas prope pedunculum floris feminini provenientes indicat tab. XXXIV. Femininum florem omnes pro corolla monopetala declarant; quum vero is nullo plane ſtylo inſtructus ſit, ut certiores nos reddidit EHRETVS iterum iterumque interrogatus: tubus hic infundibuliformis, ſeu potius ſecundum TOVRNEFORTIVM hypocrateriformis, nil aliud eſt quam ipſe ſtylus, adeoque femininus hic flos apetalus. Oras eius in 12. ſegmenta diviſas definit LINNAEVS, 13. indicant figuræ Ehretianæ & 15. vel 16. numerat HVGHES in deſcriptione. Fructus capſularum numerus pariter varius videtur: MILLERVS & LINNAEVS 12. deſcribunt, 12. & plures HERNANDEZ, 13. COMMELINVS, 14. EHRETVS, cuius imago a facie ſuperiori, demta receptaculi corona ſuperiori, Commeliniana vero cum hac corona repræſentata eſt. Quum nobis

nobis ad manus ſit eiusmodi fructus capſulis ſuis tamen iam ſolutis, complementi gratia adpingendam curavimus fig. z. utramque valvam transverſe diſſectam, nec non petiolum β unacum axi huiusque corona ſuperiori & inferiori, quibus comprehenduntur & firmantur capſulæ. Harum putamina craſſa & vere lignea fig. z. 13. 13. colligantur mebranaceo involucro eadem obducente fig. t, u. 5, x. 8, quæ, ubi contiguæ inter ſe ſunt capſulæ, fibris nervoſis & craſſioribus gaudent, quarum unam pariter depictam, fig. α. addidimus.

Secundum omnes fructificationis partes nunc obſervatas characterem huius plantarum generis integrum hiſce definimus:

Flos maſculinus & femininus in eadem ſtirpe prope ſe invicem proveniens.

Flos ſtamineus ſeu maſculinus.

CALYX: *Julus* conicus ſquamatus, *ſquamæ* imbricatæ concavæ ſubrotundæ, unifloræ.

COROLLA nulla.

STAM. Sub ſingulis ſquamis prodit *corpuſculum* ovatum in extremo bifidum coloratum, duobus vel tribus antherarum ordinibus ornatum: *Antheræ* minutiſſimæ.

Flos piſtillatus ſeu femininus.

CALYX: *Perianthium* breve monophyllum canaliculatum truncatum integerrimum.

COROL. nulla, niſi ſtylum pro corolla agnoſcas.

PIST. *Ovarium* ſubrotundum ſulcatum, *ſtylus* magnus infundibuli-ſeu hypocrateriformis coloratus, corollam referens: *Tubus* oblongus cylindraceus, ſtigmata plura (12-16) foliacea obtuſa æqualia brevia plano-convexa, in limbum orbiculatum collecta.

PERIC. *Nux* globoſa depreſſa anguloſa, compoſita ex multis capſulis (12-14,) communi involucro membranaceo colligatis & ad utrumque apicem coronatis; *capſulæ* totæ ligneæ, lunulatæ, extrorſum convexo-obtuſæ, introrſum compreſſæ uniloculares, ſuperius foramine pertuſæ, inferius elaſtice diſſilientes in duas valvas.

SEMEN: *Nucleus* ſolitarius, fere orbicularis magnus compreſſus marginatus.

Fig. II. MAGNOLIAE TAB. XXXIII. floris fructusque partes.

Expoſ. 1. Floris gemma, 2. involucrum commune totam gemmam involvens cum peculiari lingula, 3. alabaſtrus poſt incrementum captum ſpatha ſua adhuc tectus, 4. idem expanſioni proximus cum ſpatha iam fiſſa, *a.* rami extremum, quod terminat floris pedunculus, *b.* foliorum petioli abſciſſi, 5. eadem ſpatha ſeparata a facie interna, 6. alabaſtrus penitus denudatus, *a. b. b.* eadem indicant ac in 4. figura, 7. ovarium ſeu fructus rudimentum cum ſtylis ſingulorum loculorum & ſtaminum axe *d.* ſeu receptaculo, 8. ſtamen ſeparatum a facie interna cum duobus loculis farinaceis luteis, antherarum vices præſtantibus, 9. idem a facie externa, 10. fructus maturus ſeu ſtrobilus multilocularis cum aliquot baccis maturis adhærentibus & ſtylis *c.* perſiſtentibus *d* receptaculo ſtaminum & *e.* petalorum ac perianthii, 11. loculus ſeparatus & iam hiulcus ſimplicem baccam continens, 12. alius loculus cum bacca ex filo ſuo pendente, *c.* ſtylus perſiſtens, *f.* eius inſertio ad baſin loculi, *g.* cavitatis pellicula, 13. baccæ ſemen ab utraque facie.

Nota. Elegantem imaginem ſpecioſiſſimi huius floris unacum deſcriptione exhibuit CATESBY l. c., ſed absque partium anatome, hac vero auctiorem & totam emendatam ærique pariter inciſam & vivis coloribus illuſtratam anno 1737. publicavit ipſe noſter EHRETVS, *vid. Commerc. litterar. Norimb.* a. 1738. *p.* 225. quæ ob magnitudinem inter tabulas ſuas collectas non extat. Noſtram imaginem propterea tamen non eſſe ſupervacaneam ex collatione ſatis patebit. Facta autem eſt ad naturale exemplar, quod D. CAROLI WAGERI hortus in *Parſons Green* prope *Fulham* anno 1737. aluit & cuius mentionem etiam fecit MILLERVS l. c. Floris diametri amplitudinem EHRETVS comparavit undecim pollicibus, & petalorum numeravit decem: CATESBY reperit quandoque undecim & duodecim. Ceterum ſilentio præterire haud poſſumus, in illa ſpecie, quam nos tab. IX. iam repræſentavimus, DILLENIVM *H. Elth. p.* 207. *tab. CLXVIII* accurate depinxiſſe & deſcripſiſſe præter petala (octo plerumque) calycem trifolium a petalis hoc potiſſimum differentem, quod eius partes pallide virides ſint & poſt ſecundam floris expanſionem cadant, dum petala perſiſtunt & areſcunt LINNAEVS *Gen. Pl. Ed. II. n.* 546. huic reſpondet, excepto petalorum numero, quorum novem definit, CATESBY *T. I. pag. & tab.* 39. eiusmodi calycem pariter, ipſa vero petala clauſa depingit & in deſcriptione eorum caducorum ſex numerat, calycis vero nullam mentionem facit. Hæc ergo calycis tria folia in noſtra citata imagine iam ante delineationem delapſa & propterea non indicata, eorum tamen, ſeu potius receptaculi, veſtigia infra petala conſpicienda ſunt. Præterea CATESBY *T. II. pag. & tab.* 8. ſiſtit aliam ſpeciem nomine Magnoliæ ampliſſimo flore albo, fructu coccineo, cui petala decem vel undecim tribuit, ex his vero tria exteriora ita diſtinguit, quod ſint pallide viridia & reliqua ante floris expanſionem tegant, poſt eam vero ultra longitudinis dimidium ſe reflectant atque deorſum pendeant. Num ergo huius tabulæ XXXIII. ſpecies petalorum parem ex colore, ſitu, magnitudine, & duratione cognoſcendam diſtinctionem expoſcat, affirmare haud poſſumus, quum neque ex hac neque ex Catesbyana figura, utraque ab anteriori tantum facie repræſentata, id cognoſci queat, hic etiam eiusmodi differentiam in deſcriptione haud indicet. Manifeſtat autem noſtra imago e contrario quasdam partes, involucrum nempe illud gemmæ commune fig. 1. 2. & ſpatham floris propriam 3. 4. 5., quas auctores citati ſilentio prætereunt, niſi quod DILLENIVS l. c. thecæ membranaceæ mentionem faciat, quæ ab initio albicans, dein ubi abſcedit fuſca, tam folia quam flores, ubi primum prodeunt, obvolvit, quacum comparanda erit noſtra fig. 1. 2. atque etiam gemma ferruginea ſuprema tabulæ antecedentis XXXIII. folia tantum, uti videtur, includens. Quid ſit fibra iſta ex loculo fig. 11. 12. *c.* ſurſum porrecta atque etiam ad ſingulos loculos fig. 10. conſpicienda, dubii ſumus: ſi ſtylus perſiſtens ſit, uti primo aſpectu videtur, figuræ hæ docent, eam imo loculi fundo *f.* inplantatam eſſe & cum fructu, qui peculiari filo alligatus ex loculo ſuo, relicta hac fibra, tandem cadit, non cohærere. Illuſtrationis cauſſa examinavimus duos ſtrobilos ſiccos, quos ad manus habemus, atque invenimus non ſolum has fibras pari modo in omnibus loculis præſentes, verum etiam easdem duras rigidas & omnino ligneas, paullulum tamen flexiles, ceterum autem non tam ex loculis, quam ex ipſo eorum receptaculo ſeu axe provenientes & hinc vere continuas, id quod ſtyli officio neutiquam reſpondet: an ergo potius pro loculi valvarum fibula habendæ? Dolendum ſane, D. EHRETVM non examinaſſe & depinxiſſe ſtylorum loculorumque adhuc tenerorum conditionem, quam ab externa tantum facie & in nexu inter ſe fig. 7. repræſentavit. Addimus his, examen hoc præterea nos edocuiſſe, loculorum ſubſtantiam duram quidem, ſed potius fungoſam & ſuberis cortici ſimilem, quam ligneam, ipſam vero eorum cavitatem pellicula dura polita ſplendente & facile ſeparabili veſtitam eſſe, quam fig. 11. 12. *g.* indicat. Baccam ſiccam pariter examinantes reperimus in illa contentum ſemen unicum durum & cortice polita atque ſplendente veſtitum ea magnitudine & forma, quam fig. 13. 14. ab utraque facie ſiſtit. Tandem ex CATESBY huius ſtirpis deſcriptione monemus, folia adultiora tantum ſubtus ferruginea reddi, iuniora vero ab utraque facie viridia eſſe.

TAB. XXXVI.

ACACIA non ſpinoſa, flore albo, foliorum pinnis latiuſculis glabris, ſiliquis longis glabris Houſt. Cat. Mſcript. *Hort. Chelſ. p.* 3. *n.* 11. *Mill. Gard. dict.*

Nota. Ab aliis iam depictam aut deſcriptam eſſe hanc ſtirpem, nos latet.

TAB. XXXVII.

YVCCA foliis lanceolatis acuminatis integerrimis margine filamentoſis *Gronov. Flor. Virg. P. II. p.* 152.

Yucca flore albo, foliorum marginibus filamentoſis. Silkgraſs *Clayt. ibid.*

Yucca foliis ſerrato-filamentoſis *Linn. Spec. plant. p.* 319. *n.* 4.

Yucca Virginiana foliis per ambitum apprime filatis *Pluk. Almag. p.* 396.

Yuca foliis filamentoſis *Moriſ. Hiſt. Ox. T. II. p.* 419. *ſect. IV. tab.* 23. *Mill. Gard. dict.*

Yuca Americana filamentoſa *Munt. Beſchr. der Aardgevv. p.* 663.

Nota. Scapum florigerum quinque ferme pedes altum produxit hæc ſtirps in ſæpius celebrato horto Collinſoniano. Flos decerptus & ſigillatim in magnitudine naturali depictus ſtudio expanſus, alias, ut in reliquis ſpeciebus, cymbali inſtar ſemi-apertus eſt.

TAB. XXXVIII.

LEDVM floribus bullatis confertim in ſummis caulibus naſcentibus, foliis ex oblongo lanceolatis integerrimis glabris.

Chamædaphne foliis Tini, floribus bullatis umbellatis *Catesb. II.* 98.

Ciſtus ſemper virens laurifolia, floribus eleganter bullatis D. Baniſt. *Pluk Alm. p.* 106. *Phytogr. T. CLXI. fig.* 3.

Ciſtus-Ledon ſeu Andromeda laurifolia ſemper virens, floribus dilute carneis, purpureis maculis notatis, extra eleganter bullatis ad infundibuli formam proxime accedentibus, inodoris, confertim naſcentibus, capſula ſicca quinquefariam diviſa *Clayt. Flor. Virg. I.* 21.

Azalea foliis lanceolatis integerrimis non nervoſis glabris, corymbis terminatricibus *Gronov. ibid.*

Expoſ. *a.* Corolla a facie poſteriore; *b.* calyx profunde quinquepartitus ſegmentis acutis erectis; *c. c.* ſtamina longitudine ferme corollæ decem, ex baſi ovarii orientia eo in ſitu, quo corollæ latera occupant, duplicis ordinis, quinque longiora, totidem breviora; *d.* ſtylus ſtaminibus longior oblique flexus, cum ſtigmate obtuſo; *e.* idem cum ovario; *f.* idem & calyx perſiſtens cum ovario iam adaucto; *g.* pericarpium ex quinque capſulis membrana communi obvolutis compoſitum a facie ſuperiori *b.* inferiori *i.* laterali cum calyce *k.* transverſe ſectum; *l.* capſula ſeparata a facie interiori, ubi dehiſcit, ſeminibus adhuc plena; *m.* eadem vacua; *n.* involucrum ſeminum proprium, in ſicco exemplari a capſulæ lateribus ſponte ſua ſecedens & rugoſum a facie interiori ſeu capſulæ rimæ reſpondente *o* laterali & exteriori; *p.* unum ex ſeminibus perexiguis; *q. r. s.* eædem partes in magnitudine aucta.

Nota. Stirpis huius ramulum florentem eleganter quidem iam delineavit PLVKENET; ſed eius imago & foliorum petiolos & florum pedunculos, immo flores ipſos repræſentat villoſos: fructus deficit. Specioſiorem eius imaginem exhibuit CATESBY, quæ pariter, ac deſcriptio, uti noſtra quoque pictura, horum villorum nullum veſtigium manifeſtat. Addidit hic quoque ramulum fructiferum; ſed fructus & floris partes ſigillatim non indicavit, unde character huius ſtirpis imperfectus relinquebatur. Floris ſtructuram adiunxit EHRETVS, & quum æſtumatiſſimus COLLINSONIVS aliquando nobiscum communicavit capſulas maturas, curavimus, ut hæ earumque partes manu BAVRNFEINDII exacte ſimul repræſententur. Quod ad nomen genericum attinet, notum eſt, Ledum *Michelii nov. plant. gen. p.* 224. *tab.* 106., Chamædaphnen *Buxbaumii Commentar. Ac. Petrop. T. I. p.* 241. *tab.* 8. *fig. I.* Poliifolium *Eiusd. ibid. T. II. p.* 345. *tab.* 21. Chamærhododendron *Tournef. inſt. p.* 604. *tab.* 373. ut & quasdam Ericæ ſpecies *Eiusd.* a LINNAEO *Pl. Gen. Ed. II. n.* 426. ad unum genus Andromedæ nomine reduci, procul dubio quia numerus ſtaminum & ſtylorum ut & fructus partium conformatio non differt, licet, ut ipſe monet, corollæ figura varia ſit. Atque omnino Ledum, notante LVDWIGIO *Def. gen. pl. n.* 139. præter calycem pentaphyllum (dummodo vere pentaphyllus eſt, quia icon Micheliana duas capſulas cum calyce perſiſtente repræſentat) & ſtigma emarginatum, obtinet corollam rotatam profunde quinquefidam, Chamædaphne globoſam oris conniventibus, Poliifolia campanulatam ſegmentis leviter reflexis, & Chamærhododendron Tournefortii ſeu Ledum Halleri *Stirp. Helv. p.* 417. tubulatam ſegmentis profundis patentibus, a quibus figuris omnibus differt noſtræ ſtirpis corolla, utpote quæ non ſolum ex anguſto tubo ſubito in amplam campanam ſegmentis erectis deſinit, verum etiam, docente CATESBY deſcriptione, tubum interius in decem ſulcos, ſingulos ſtamina ſingula recondentes, excavatum atque præterea exterius totidem tuberculis ſeu bullulis, in noſtra etiam imagine conſpicuis, a limbo diſtinctum offert: quæ notabilis differentia iis certe, qui corollæ figuram in definiendis generibus non negligunt, pro peculiari genere conſtituendo ſufficere valet, id quod tamen aliis committimus. Nos interea cum ſpeciebus Ledi Halleri (quod genus ab Andromeda Linnæi ſeparavit eique antiquum Ledi nomen reſtituit) coniunximus hanc ſtirpem, quia inter huius & illius corollam minor differentia intercedit. Ceterum monemus, ſpecierum Andromedæ omnium a LINNAEO tum in *Flora Lapponica n.* 163-166. tum in *H. Cliff. p.* 162. *ſequ.* recenſitarum, corollam vel cum Chamædaphnes Buxbaumii vel cum Chamærhododendri Tournefortii corolla convenire, quantum quidem ex ſynonymis citatis colligi poteſt; Azaleæ vero genus tum LINNAI *Gen. Pl. ed. I. no.* 151. *II. no.* 154. *Flor. Lapp. n.* 89. 90. *H. Cliff. p.* 69. tum HALLERI *l. c. p.* 416. ob ſtaminum numerum altero tanto minorem differre.

Fig. II. LEDVM floribus bullatis faſciculatim ex alis foliorum oppoſitis naſcentibus, foliis lanceolatis integerrimis glabris.

Chamædaphne ſemper virens, foliis oblongis anguſtis, florum faſciculis oppoſitis e foliorum alis *Catesby App. pag. & tab.* 17.

Nota. Hæc ſtirps cum præcedenti penitus convenit floris ſtructura; differt autem florum foliorumque magnitudine, & ſitu. Imago hæc facta eſt ad exemplar arbuſculæ ſesquipedes altæ, quæ in horto Collinſoniano anno 1744. flores produxit, cuius imaginis Catesbyana quoque imitatio eſt.

His iam conſignatis & prelo commiſſis ad manus noſtras pervenit *Vol. I. Specier. Plant.* LINNAEI, ubi *p.* 391. & *Gen. nov. n.* 1079. hæ ambæ ſtirpes novum genus conſtituunt, quod huic celeberrimo auctori KALMIA audit, eſtque prior: Kalmia foliis ovatis, corymbis terminalibus, poſterior: Kalmia foliis lanceolatis corymbis lateralibus. Inter Synonyma utriusque ſpeciei adducit nomen Catesbyanum a nobis citatum, in reliquis diſſentit: nomen ſcilicet Gronovianum & Plukenetianum ipſi ſynonyma ſunt poſterioris ſpeciei, prioris vero hæc, Andromeda foliis ovatis obtuſis, corollis corymboſis infundibuliformibus, genitalibus declinatis *Gronov. Fl. Virg. II. p.* 160. & Cyſtus chamærhododendros Mariana laurifolia, floribus expanſis, ſummo ramulo in umbellam plurimis *Pluk. Mantiſſ. p.* 49. *Phytogr. t. CCCLXXIX. n.* 6. His denuo inter ſe collatis reperimus, hanc modo citatam figuram Plukenetianam valde eſſe imperfectam, alteram vero omnino florum faſciculum ex ala cuiusdam folii potius prodeuntem, quam caulem terminantem ſiſtere, adeoque hac ſaltem nota ad poſteriorem ſpeciem propius accedere, ceterum vero nec huius habitum, ſecundum noſtram & Catesbianam imaginem, eſſe villoſum. Si Gronovianum nomen huc pertinet, genitalia potius inclinata, quam declinata, dicenda erunt, ſiquidem ſtamina utriusque ſpeciei corollæ ambitum internum regulari ſitu occupantia & non declinata, ſed ſolummodo ſtylum verſus inclinata, repræſentantur.

TAB. XXXIX.

LILIO-GLADIOLVS bifolius & biflorus, foliis quadrangulis.

Expoſ. *a.* Corolla diſſecta & explanata a facie interna, *b.* eius ſegmentum ſupremum maximum, *c. c.* duo ſegmenta lateralia, *d. d. d.* tria inferiora, *e.* tria ſtamina, *f.* ſtylus ſimplex, *g.* ſtigmata tria foliacea, *b. b.* ſpatha herbacea duplex, *i.* pericarpium obſcure hexagonum, *k.* idem maturum in tres valvas reſolutum, *l.* ſemen planum & alatum, *m.* folii quatuor anguli, *n.* bulbus valde prolifer.

Nota. Elegans hæc planta, naturali magnitudine depicta, patriam agnoſcit Caput bonæ ſpei & floruit anno 1745. & 1750. in horto Chelſeano. Mira deprehendebatur bulborum multiplicatio; duo tantum protrudebat folia longiſſima, anguſtiſſima & ſingularis ſtructuræ quadrangulæ; caulis teres & pariter prælongus itidem duos tantum proferebat flores intervallo ſatis magno &, ut videtur, ex geniculis. Absque nomine accepimus hanc imaginem: num planta ab aliis iam deſcripta vel delineata proſtet, nos latet: characteribus peculiaris generis eam gaudere, ſequentia indicant:

CALYX: ſpatha herbacea, anguſta, lanceolata, perſiſtens duplex ad ſingulos flores.

COROLLA monopetala, liliacea, irregularis; tubus inæqualis, inflexus, ad dimidium inferius anguſtus, deinde multo amplior & ventricoſus; limbus patens, in ſex ſegmenta inæqualia ex oblongo acuminata diviſus: ſupremum latiſſimum, profundius inciſum & repandum; duo lateralia anguſtiora, omnia macula faſciali purpurea ſuper medio internæ ſuperficiei diſtincta; reliqua tria inferiora minus profunde inciſa minusque repanda, infimum minimum, omnia faſcia virideſcente notata.

STAMINA tria, corollæ fauces parum ſuperantia; filamenta craſſa ampliato tubi ventri accreta; Antheræ longæ, erectæ, biloculares.

PISTIL-

PISTILLVM: ſtylus ſimplex ſtaminum longitudine; ſtigma triplex foliaceum; ovarium oblongum, obſcure hexagonum.

RECEPTAC. floris ad verticem ovarii.

PERICARP. Capſula trivalvis, ad ſingulas valvas duplex ſeminum ſeries.

SEMINA oblonga plana, alata.

Patet ex his, cum Gladiolo convenire huius plantæ floris corollam numero & inæquali magnitudine ſegmentorum, ut & horum maculis, ita tamen, ut ſegmenta peculiari macula ſignata in Gladiolo inferius, in hac planta ſuperius limbi dimidium conſtituant; in hac ſegmenta maiora in illo minora hanc maculam exhibeant: conveniunt porro ambo ſtaminum, ſtyli ſtigmatum, & ſpathæ foliorum numero & conformatione, itemque radicis figura; differunt vero inter ſe non ſolum totius plantæ habitu, verum etiam corollæ tali ſtructura liliaceam formam referente, unde nominis generici compoſitionem petivimus. Quibus eiusmodi nomina compoſita non arrident, illis aliud excogitandum relinquitur: & quibus nec totius plantæ habitus nec corollæ facies differens pro generis peculiaris charactere ſufficit, illis hæc planta ipſius Gladioli ſpecies & forſan Gladiolus biflorus & bifolius, flore tubulato, foliis quadrangulis dicendus veniet.

TAB. XL.

MERIANA flore rubello.

Expoſ. *a.* corolla diſſecta ab interiore facie, *b. b.* eius ſex ſegmenta ferme æqualia, *c. c. c.* tria ſtamina, *d.* ovarium, *e.* ſtylus, *f. f.* eius extremum triſidum, *g.* ſtigma ſingularum diviſionum bifidum reflexum, *h.* ſpatha, *i. k. l. m. n.* eædem partes in magnitudine aucta, *o.* ovarium transverſe ſectum cum tribus loculis, *p.* bulbus, *q.* iunior bulbus ex caule propullulans.

Nota. Hæc planta elegantiſſima ex ſemine pariter a Capite bonæ ſpei miſſo educata eſt in horto Chelſeano & flores primum ſpectandos exhibuit anno 1750. ſed fructum maturum non perfecit. Bulbus & folia iterum Gladiolo ſunt ſimilia, caulis firmus ramoſus, ex quo alterno ordine proveniunt flores copioſi. Et hæc planta recedit a generibus, nobis ſaltem notis, characteribus ſequentibus.

CALYX: Spatha herbacea oblonga duplex ad ſingulos flores.

COROLL. monopetala tubulata regularis: tubus inæqualis, leviter flexus, ad dimidium inferius anguſtus, deinde paullo amplior: limbus patens, in ſex ſegmenta ſatis æqualia & obtuſa diviſus.

STAMIN. tria longitudine corollæ: filamenta longa, parum inflexa, ex inferiori tubi parte enaſcentia: Antheræ longæ, verſatiles, biloculares, bicornes.

PISTILL. ovarium ſubrotundum, hexagonum: ſtylus inflexus, ſtaminibus longior, ad extremum trifidus: ſtigma ad ſingulas diviſiones duplex, reflexum.

RECEPT. Corollæ ad baſin ovarii.

PERICARP. capſula trilocularis - - - - -

SEMINA - - - - - - - - -

Bulbus ex caule proveniens forte ne ad characterem quidem ſpecificum pertinet, ſed extraordinarie productus eſt, quemadmodum id in pluribus plantis bulboſis quandoque contingit, cuius exempla in Tulipa & Lilio albo obſervata, deſcripta & depicta reperiuntur in *Commerc. litter. Norimb. a* 1735. *p.* 212. & 410. *a.* 1741. *p.* 347. Hæc quoque planta nondum, quantum ſcimus, depicta vel deſcripta, immo ne quidem nominata eſt: nos propterea æquum duximus, ea conſervare memoriam MARIAE SIBYLLAE MERIAN, quæ ob picturas in lucem evulgatas non ſolum inſectorum, verum etiam plantarum, ſatis celebris eſt.

TAB. XLI.

PLVMERIA flore roſeo odoratiſſimo *Tournef. inſt.* 659. *Plum. cat. pl. Amer. p.* 20. *Mill. Gard. dict. Rand. H. Chelſ.* 160. *Hort. Carlsruh.* 48. *Bœrh. Ind. alt. I.* 315. *Ehret. tab. XI.*

Plumeria foliis ovato oblongis *Linn. H. Cliff.* 76. *van Roy.* 412. *Wachend.* 51.

Nerium arboreum, folio maximo obtuſiore, flore incarnato *Sloane Cat. pl. Iam.* 154. *Itiner. II.* 61. *t.* 185. & 186. *f. I. Ex hoc Raj. Hiſt. III. dendr.* 114.

Nerio affinis Barbadenſis arbor latifolia, flore purpureo, Iaſmini odore *Pluck. Phytol. t.* 207. *f.* 2.

Clematis arborea Americana laurinis ampliſſimis foliis, flore laccæ colore odoratiſſimo *Pluck. Almag.* 109. *Mantiſſ.* 50.

Iasminum indicum *Merian Surin. p. & t.* 8.

Quauthlepatli *Hern. Mex.* 67.

Tree Ieſſamin *Hughes Hiſt. Barbad.* 189.

Expoſ. *a.* flos adhuc clauſus, *b.* explicatus, *c c.* calyx, *d.* ſiliqua matura externo in latere dehiſcens, *e. e.* axis, ſeu receptaculum ſeminum, *f. f. f. f.* ſemina, *g. g. g. g.* eorundem alæ.

Nota. Huius ſpecioſiſſimæ ſtirpis deſcriptionem & iconem primus, procul dubio, exhibuit HERNANDEZ, ſed valde ieiunam. PLVKENET delineavit folium artificioſe ſculptum, ut & unicum florem & ſemen; ſed omnia noſtris figuris multo minora ſunt & floris figura inſuper alia eſt. Imago, quam publicavit SLOANE, ſiſtit in naturali magnitudine ramum florentem & ſiliquam duplicem adhuc in connexione, ſed absque manifeſto geniculo, nec etiam apertam, cuius magnitudo duplo fere maior eſt noſtra. Addit etiam priori tabulæ exiguam, quaſi pinnatam, figuram; ſed ſine explicatione: forſan ſeminis ala eſt. Huius relatione conſtat, ſtirpem hanc malo arbori magnitudine parem eſſe. Ipſi olim vidimus eam florentem Pariſiis in horto regio in vaſe & caldario cultam, quæ vero exiguam fruticem magnitudine vix æquabat, an ex ætatis vel potius culturæ differentia. Elegantior imago eſt illa SIB. MERIANAE, ſed absque fructus repræſentatione. In deſcriptione floris coloris equidem nulla fit mentio; noſtrum vero exemplar eius manu pictum omnino roſeum, inſuper lutearum macularum veſtigia indicat. TOVRNEFORT tab. 439. exactam fructus imaginem addidit, cuius ambæ ſiliquæ articulo quaſi coniunctæ & pedunculo ſuffultæ, ceterum vero una tertia parte breviores ſunt noſtra; flos etiam paullo minor apparet; unde concludere licet, omnes partes minutas eſſe. Catesbyana imago noſtræ proxime accedit, quæ eadem eſt, quam ipſe EHRETVS in tabulis ſuis iam publicavit; cuius etiam imitatio eſt illa Hugheſiana, EHRETI manu pariter, ut ſubſcriptio docet, delineata, ſed ad chartæ ſpatium multum imminuta: huic addidit ſiliquæ imaginem, cum ea, quam nobiscum rogatus communicavit, penitus convenientem, ſed adhuc clauſam, quum noſtræ & axem & ſemina adpinxit, ſimul vero monuit, exemplar huius ſiliquæ iam diu fuiſſe collectum & læſum: hinc forſan eius nexum cum pedunculo ex ingenio ſupplevit. Propterea etiam haud conſtat, num ad hanc an ad aliam ſpeciem, aut ſi mavis varietatem, pertineat: plures namque dantur, quarum RANDIVS quatuor & MILLERVS ſex iam recenſuit, inter quas ab hoc ſecunda nominatur Plumeria flore maiore, odorato & incarnato, quam præterea in deſcriptione ab altera, cuius ſynonyma collegimus, diſtinguit florum colore dilutiori & copia in maiores faſciculos collecta, quæ procul dubio eadem eſt cum tertia RANDII, ſeu Plumeria latiſſimo folio, flore maiore incarnato. Quum ergo Ehretiana imago huic deſcriptioni magis quam reliquis iconibus reſpondet, forſan hanc ipſam varietatem ſiſtit: quod vero ille tantum, cui utriusque collatio contingit, ab omni dubio liberare poteſt.

TAB. XLII.

PVLMONARIA foliis radicalibus ſubovatis caulinis oblongis glabris, ſcapo laxo, calycibus breviſſimis.

Pulmonaria calyce tubo corollæ breviore, perianthiis quinque partitis *Gron. Virg.* 20. *Mill. Gard. dict. edit. noviſſ. a.* 1752. *append. p. ult.*

Pulmonaria non maculoſa, floribus tubuloſis longis pulcherrimis cæruleis, in panicula pendula congeſtis, foliis teneris glabris latis obtuſis ad margines æqualibus, pediculis dilute purpureis inſidentibus, radice craſſa inſtar Symphyti, Mountain Covvslip *Clayd. ibid.*

Symphytum ſeu Pulmonaria non maculoſa, foliis glabris, Americana, flore patulo cæruleo *Pluk. Phyt. tab. CCXXVII. fig.* 6. *Moriſ. H. Ox. III. p.* 444. *n.* 6. *Rai. H. III.* 266. *n.* 3. *Rand. H. Chelſ.* 164.

Expoſ. a. Corollæ tubus a facie laterali, *b.* cum limbo quinquepartito, *c. c.* calyx, *d.* corolla diſſecta ab interna facie cum quinque ſtaminibus ad tubi ampliati fauces adcretis, *e.* ſtylus filiformis cum ſtigmate (an, ut in aliis ſpeciebus, emarginato, ut annotavit LINNAEVS) *f.* calyx quinquedentatus, *g.* quatuor ovula, *h.* ſtylus & *i.* ovula in magnitudine aucta, *k.* ſtylus *l.* calyx perſiſtens, & quatuor ſemina fovens, *m.* quatuor ſemina a ſtylo & calyce denudata, *n.* unum ex his in nexu cum ſtylo.

Nota. Perelegantis huius plantæ delineationem reperire potui haud aliam, quam illam PLVKENETI l. c. Habitu externo recedit quidem illa paullulum a noſtra, nihilominus ambas referre unam eandemque plantam, reliquæ notæ nobis perſuadent. Ceterum de genere eiusdem valde dubius fuit hic auctor: nam in Almageſto ſuo p. 359. nomini indicato addit: an Digitali congener, in Amaltheo vero p. 198. hæc ſubiunxit: an forſan Symphytum ſeu Pulmonaria Alpina foliis mollibus ſubrotundis flore cæruleo *H. R. P. ſchol. bot.* 107. quo loco, ut & in *Tournef. Inſtitut.* 136. *n.* 3. & *Mill. Gard. dict. edit. prior.* nomen hoc ſolum occurrit; RAIVS vero l. c. utrumque ſigillatim recenſet, immo ab hac planta noſtram calyce brevi diſtinguit. Satis accuratam eiusdem deſcriptionem iam exhibuit MORISONVS l. c. ſed iconem nullam addidit. Idem nos quoque docet, eam tunc temporis iam in horto Chelſeano cultam & ex Virginia allatam fuiſſe, quam patriam poſtea confirmavit CLAYTON l. c., qui nomine Anglico idiomate addito ſimul indicat, montium incolam eſſe eam; reperiri etiam eandem in extremis Siberiæ oris, annotatum legimus in LINNAEI *Amœnit. Acad. Vol. II. p.* 337. utramque vero ut ſpecies diſtinctas differre, docet IDEM *Spec. plant. p.* 135. *n.* 3. 4. ubi Plukenetiana & Gronoviana planta ſupra citata vocatur Pulmonaria calycibus abbreviatis foliis lanceolatis obtuſiuſculis, Sibirica vero Pulmonaria calycibus abbreviatis foliis radicalibus ſubcordatis, caulinis ovatis, ut addit deſcriptio p. 136. ſubnexa. Plukenetiana, Moriſoniana, Gronoviana & noſtra planta certo certius eſt una eademque Virginiæ incola, cuius folia lanceolata non ſunt, adeoque definitioni primæ ſpeciei LINNAEI minus reſpondent. Examinavimus præterea ſiccatum huius plantæ exemplar, quod ſæpius iam laudatus BEVRERVS noſtras iamdudum a munifico COLLINSONIO accepit & nobiscum communicavit, cuius folia caulina (radicalia deficiunt) latitudine pollicem Rhenanum & longitudine pollices duos cum dimidio circiter æquant & ex anguſta baſi lateſcunt & deinde in obtuſum mucronem abeunt, adeoque oblonga & Plukenetianæ pariter ac noſtræ imagini ſimilia ſunt. Radicalis folii figuram MORISONVS ita deſcribit, ut a noſtra non differat. Quo usque ergo folia radicalia ſubcordata & ſubovata, itemque caulina ovata & oblonga vel lanceolata inter ſe perpetuo differant, ulteriori examine adhuc opus habet. Iungimus his, EHRETVM hanc imaginem ante aliquot iam annos nobiscum communicaſſe, ſed absque charactere perfecto: rogatus & excitatus ergo hoc anno demum defectus ſupplevit, favente amiciſſimo noſtro COLLINSONO, cuius hortus inſtructiſſimus & hanc ſtirpem colit. Differentia floris figuræ, quæ occurrit in icone integræ plantæ & eius partium, ſecundum citatum exemplar ſiccatum examinata, huius flores, exſiccatione non obſtante, paullo maiores & circa eius limbum paullo magis expanſos, nec in tam profunda & rotunda ſegmenta inciſos, quam figura a. b. oſtendit, ſe ſiſtebant: forte recens & diu iam expanſi floris figura variat.

TAB. XLIII.

CVIAVVS ſurculis & ramis iunioribus quadrangulis.

Cuiavus agreſtis *Rumph. Herbarii Amboin. I. p.* 142. *tab.* 48. *figura bona, ſed naturali minor.*

Cuiavus domeſtica *ib. p.* 140. *t.* 47. *eiusdem præſtantia.*

Guaiaba *Marggr. Hiſt. nat. Braſ.* 104. *Piſ. Hiſt. nat. Braſ.* 75. *Indiæ utriusque* 153. *cum fig. rudi. de Læt. Ind. occid. p.* 1.

Guyabo (Oviedi) pomifera indica *C. B. pin.* 437. *Ionſt. dendrol.* 30. *n.* 3. *t. XIX. ex Cluſio.*

Guaiabum *Aldrov. dendrol. edit. Bon.* 586. *Francof.* 419.

Guaiava *Cluſ. hiſt. app. p. CCLIV. cum fig. vili. Dalech. hiſt. Lugd. II.* 1836. *Tournef. Inſt. p.* 660. *tab.* 443. *fig. emendanda. Bœrh. Ind. alt. II.* 250. *Merian Surinam p. & t.* 19. *ut & p. & t.* 57. *edit. Lat. fig. imperfecta, magis artificioſa, quam naturalis. Hughes nat. hiſt. of Barbad.* 132.

Guaiava indica *Weinm. T. III. p.* 84. *t.* 561. *figura ſecundum Tournefortianam efficta, addito ramulo folioſo.*

Guaiava alba dulcis *Commel. H. Amſt. I. p.* 121. *t.* 63. *figura ſatis bona Mill. Gard dict. Rand. H. Chelſ.* 91.

Guaiava alba dulcis, Pyra indica ſeu Granadenſia vulgo *H. L. Bat.* 305.

Guaiava alba dulcis, fructu longiori *C. Commel. Fl. Malab.* 34. b.

Guaiava alba acida fructu rotundiori *Pluk. Almag.* 181. *Phytogr. t. CXCIII.* f. 4. *ſatis bona ſed imminuta & incompleta.*

Guaiava rubra acida *H. L. Bat.* 305. *H. Amſt. I.* 121. *Bœrh. Ind. alt. II.* 250.

Guaiava rubra acida fructu rotundiori *C. Commel. Fl. Malab.* 34. b. *Mill. Gard. dict. Rand. H. Chelſ.* 91.

Guaiaves *Merian. Sur. p. & t.* 19. *itemque p. & t.* 57. *edit. Bat. figura eadem ac in Latina*

Guajavas fructu pallido dulci *Muſ. Zeyl.* 3. *Burm. Theſ. Zeyl.* 112.

Guayava *Ger. emac. app.* 1612. *Parkinſ. theatr.* 1634. *utriusque fig. ex Cluſ. Rai. Hiſt. II.* 1455. *de Læt. Ind. Occid.* 357.

Guayava indica fructu mali facie *I. B. I. p.* 108. *cum fig. ex Cluſ. & imminuta.*

Guayavas (Monardi & Gomaræ) *Cluſ. exot.* 346. *Dalech. Hiſt. Lugd. app.* 17.

Malo Punicæ affinis pomifera, flore pentapetalo albo, fructu nullis diſſepimentis inſtructo, ex toto eſculento rubro maiori *Sloan. Cat. Pl. Iamaic.* 198. *Itinerar. II.* 161.

Malo punicæ affinis &c. fructu &c. minore albo *Eiusd. Catal.* 200. *Itin. II.* 163.

Pſidium *Linn. Spec. pl. p.* 470.

Pſidium caule quadrangulo *Linn. H. Cliff.* 184. *Fl. Zeyl. n.* 192. *van Roy Fl. Lugd. Prodr.* 268. *van Wachend. H. Vltraj. Ind.* 96.

Pſidium ramis tetragonis *Linn. H. Vpſ. p.* 122.

Pſidium ramis quadrangulis *Hill Hiſt. of Plants p.* 450. *t.* 11. *figura floris a tergo ex Tournefortio.*

Xalkochotl i. e. Pomum arenoſum *Hernand.* 84. *fig. viliſſima.*

Xalcocotl ſeu Guyabo Ximenis *Marggr. Hiſt. Braſ.* 105. *de Læt. Ind. occid.* 227. *cum fig. a reliquis differente, ſed pariter vili.*

Cievko ſeu Goyava fructus *Boym. Flor. Sin. lit. E. cum fig. rudi Ionſt. dendrol. mantiſſ.* 475. *no. VI. t. CXXXVI. ex Boym, ſed multum imminuta.*

Pela ſeu Guayabor *van Reede H. Malab. T. III. p.* 31. *t.* 34. *figura magnitudine naturali & ſatis bona.*

Malacka-Pela *ibid. p.* 33. *t.* 35. *pari laude digna.*

Expoſ. Fig. I. ramus cum flore a facie anteriori, *a.* flos a tergo.
Fig. II. ramus adultior cum fructu, *b.* fructus transverſe ſectus, *c.* ſemina.

Nota. Stirpem hanc, ob fructum quem progenerat ſuaviſſimum, Europæis dudum iam commendarunt hiſtoriæ naturalis ſcriptores, ex quibus procul dubio primi fuerunt Hiſpani, nimirum LVDOV. OVIEDVS, NIC. MONARDES, FRANCISC. LOPEZ de GOMARA & FRANCISC. XIMENES, quorum relata referunt CLVSIVS, DALECHAMPIVS, IO. BAVHINVS, MARGGRAVIVS, IO. de LAET & IONSTONVS. Primis auctoribus accenſendus quoque eſt FRANCISCVS HERNANDEZ, licet eius hiſtoria ſingulari fato multo ſerius in publicum prodierit: XIMENIS certe deſcriptio huius ſtirpis eadem eſt cum illa HERNANDESII. Poſt hosce Auctores, præter reliquos ſupra citatos, plures peregrinantes huius ſtirpis, vel ſaltem eius fructus, mentionem quoque fecerunt, quorum præcipuos nominat I. BAVHINVS & SLOANE. Præterea huc etiam pertinere Igbucamici *de Læt.* 560. ut & Agouti-treva & Caoup *Eiusd.* 611. 612, ſuſpicatus eſt PLVKENET *Mantiſſ.* 91.; ſed ex leviſſima horum deſcriprione comparationem inſtituere vix licet. Araca Iba autem, cuius iconem & deſcriptionem exhibet MARGGRAVIVS *Hiſt. Braſ.* 105. & PISO *Hiſt. Ind.* 152. veroſimilius pro Pela *H. Malab.* habetur a RAIO & PLVKENETO; cum qua ſtirpe, icone & deſcriptione valde etiam convenit Araca-iba PISONIS *Hiſt. Braſ.* 74. ſeu Araca-miri EIVSDEM *Hiſt. Ind.* 151 cuius mentionem quoque facit MARGGRAVIVS *l. c.* 62., licet uterque ambas has ſtirpes a Guaiaba diſtinguat. Prioris figuram etiam ſiſtit IONSTONVS *tab XIX*, ſed lepido auſu ex parte eius ſuperiori ab illo fingitur Guaiaba Ximenis, & ex parte inferiori Araca-Iba. Eſt autem ipſius Cuiavi hiſtoria nondum eo usque abſoluta, ut omnes de eadem relationes atque

ima-

imagines ſuppeditatæ tam facile inter ſe comparari vel ex iisdem character genericus, & multo minus ſpecierum indubius, formari queat. Floris petala omnes deſcribunt alba immo candida: ſolus HILL. l. c. in meo exemplari picto eadem repræſentat ſaturate violacea, licet ea, æque ac alii, alba deſcribat. Affirmant porro florem eſſe fragrantem, ſi excipias Horti Malabarici & Amſtelodamenſis nec non Herbarii Amboinenſis auctorem, a quibus inodorus deprehendebatur: omnes etiam numerant eius petala quinque, COMMELINVS vero & HVGHES quatuor, quot etiam noſtra imago ſiſtit; van REEDE in Pelæ deſcriptione quatuor vel quinque (in Malacka-Pelæ deſcriptione flos huius ſimilis ſed maior dicitur, icon vero prioris quatuor, poſterioris quinque repræſentat) & MILLERVS in characteris definitione plerumque quinque annotat, ex quibus concludimus, ordinarie eorum quinque, haud raro tamen quatuor tantum deprehendi. Calycis ſegmenta pariter quinque depingunt & deſcribunt omnes fere; Pelæ tamen imaginis pedunculus quidam quatuor tantum ſiſtit, & HVGHES totidem extus viridia intus alba numerat, RVMPHIVS vero calycem tetra- vel pentaphyllum, atque præterea craſſum & deorſum reflexum definit; EHRETVS me monuit, calycis ſegmentorum numerum haud eſſe conſtantem, ſed eum vario modo dehiſcere, prætereaque ſegmentorum unum vel alterum tantum perſiſtere, id quod etiam fig. a. oſtendit, & pedunculorum altera Pelæ indigitare videtur. Calycem porro perſiſtentem & fructum maturum æque, ac immaturum, coronantem repræſentant plurimæ figuræ citatæ; ſed ex OVIEDO iam annotat MARGGRAVIVS & Auctor commentarii in HERNANDESII relationem, coronæ huius folia facile decidere, quemadmodum etiam coronæ loco lacunam tantum exhibet figura PISONIS illaque maturi fructus & Pelæ & Malacka-Pelæ van REEDE, itemque noſtra, nec non Cuiavi domeſticæ RVMPHII, ubi vero lacuna hæc multifida meſpilorum ferme modo repræſentatur; Cuiavi agreſtis vero fructus maturus perfecte adhuc coronatus ab eo pingitur. Externam fructus ſuperficiem plurimi læuem atque politam deſcribunt; RVMPHIVS contra tuberculis inæqualem, quæ tamen addita figura haud notat, noſtra vero indicat. Fructus odor laudatur quidem ſuavis & aromaticus: nihilominus tamen non ſolum HERNANDEZ, verum etiam SLOANE affirmat, eundem cimices quodammodo olere & guſtantibus primis ingratum eſſe: RVMPHIVS illum cum fœni odore comparat, eumque gravem & ori comedentis diu inhærentem declarat. Colorem eius viridem vel luteum nominat C. BAVHINVS, ex viridi flaveſcentem MARGGRAVIVS, ex viridi albicantem van REEDE, luteum OVIEDVS, (qualem etiam pictum ſiſtit tabula Weinmanniana & Meriana 19.) dilute luteum SLOANE, ſaturate luteum COMMELINVS, aureum GOMARA & MONARDES, croceum nitentem PISO, ex luteo rubentem oſtendit figura BOYMI, rubellum (*reddiſh*) nominat HILL ſubfuſcum deſcribit de LAET & ſimilem (*ruſſet*) cum maculis rubris HVGHES, quæ differentiæ vel ſecundum clima, vel maturitatis gradum differre poſſunt. Notatu dignum tamen eſt, quod RVMPHIVS annotat, nimirum Cuiavi domeſticæ fructum eſſe primo viridem gramineum, dein ſicci inſtar graminis vel pallide citreum, Cuiavi ſilveſtris vero intenſe viridem gramineum & fere nigricantem, quem etiam ſervat. Internam ſubſtantiam in quatuor cameras diviſam deſcribit GOMARA, OVIEDVS & MONARDES, quibus contradicit SLOANE additque, ne membranis quidem, uti in Granato, ſeparata eſſe ſemina, ſed nuda pulpæ immerſa. Axem ſeu ſeminum receptaculum quinquifidum repræſentat noſtra figura *h.*, cuius ſeparationis veſtigium, ſed obſcurius, exhibet quoque figura RVMPHII, PLVKENETI ut & utraque van REEDE, unde forſan cameræ derivatæ ſunt. Omnium difficillime diſtingui poſſunt, quæ de fructus figura, eiusque carnis colore atque ſapore traduntur. Secundum OVIEDVM, MONARDEM & LOPEZ de GOMARA figura aliis eſt longiuscula ſeu piriformis, aliis rotundior ſeu maliformis; pulpa aliis rubra vel punicea, aliis alba vel candida, vid. C. & I. BAVHINVS, DALECHAMPIVS & CLVSIVS. Eodem pene modo has differentias indicant PARKINSONVS, RAIVS, de LAET, & HVGHES, qui ſolus addit, eas valde leves eſſe: cuinam autem ſpeciei vel, ſi mavis, varietati hæc vel illa nota conſtans aut accidentalis ſit, ex his auctoribus haud patet. Neque etiam reliqui, qui diſtinctas Guaiavæ ſpecies propoſuerunt, ita inter ſe conveniunt, ut nullum confuſionis dubium ſuperſit. Quantum ex nominibus ſpecificis, iconibus, & deſcriptionibus colligi poteſt, fructus forma piro mediæ magnitudinis ſimilis eſt ſecundum HILL; carne quandoque rubra, quandoque alba, gaudet ſpecies prima SLOANE; fructu paullo maiori, intus albo, admodum ſucculento, non tamen adeo ſapido eiusdem ſecunda; fructu oblongo, carne rubra & dulci eſt illa MARGGRAVII, PISONIS & BOYMI, alba & dulci Pela van REEDE, COMMELINI *Fl. Malab.*, ſecunda ſpecies *H. Amſtel.* HERMANNI *H. L. B.*, prima ſpecies BOERHAVII, MILLERI, RANDII; fructu primo rotundo deinde oblongo, carne pallide albicante cydoniorum inſtar, dulci ſed in perfecte maturis minus grata, prima ſpecies RVMPHII; fructu rotundo, carne alba acida PLVKENETI, fructu rotundo, carne rubra acida CLVSII, Malaka-Pela van REEDE, COMMELINI *Fl.*, *Malab.* prima ſpecies *eiusd. H. Amſt.*) HERMANNI *H. L. B.*, ſecunda BOERHAAVII, MILLERI, RANDII) fructu multo minori & prunum maiorem vix ſuperante, perfecte rotundo, carne duriori, ſed dulciori, coloris ad margines albi ac plerumque porro læte rubentis, ſed in plene maturis iterum evaneſcentis, ſecunda ſpecies RVMPHII: fructum & oblongum & rotundum uni ramo adhærentem carnemque rubram indicat noſtra figura. Ob hanc nondum accurate definitam differentiam ſynonyma quoque confundunt plerique, quæ nos eadem ex ratione coniunximus: quomodo autem a nonnullis diſtinguantur, vid. SLOANE, LINNÆVS & BVRMANNVS *Theſ. Zeyl.* 112. *Herb. Amboin.* 144. Sunt præterea, qui plurium adhuc ſpecierum mentionem faciunt. HERNANDEZ iam tres indicat, ſed tertiam non deſcribit & ſecundam ſolam depingit; a SLOANE additur tertia ſpecies fructu maiori albo; RVMPHIVS ut varietatem non ſolum p. 141. recenſet aliam domeſticam & p. 144. aliam ſilveſtrem, verum etiam p. 145. addit iconem & deſcriptionem alius ſpeciei, quam Cuiavillum nominat; MILLERVS denique in noviſſima Dictionarii ſui editione tertiam ſpeciem nominat Guaiavam albam fructu parvo odorato. Accuratiori ergo diſquiſitione adhuc opus eſt, quænam differentiæ conſtantes ſint, quæve a cultura vel tempeſtatis aut maturitatis gradu dependeant. HERNANDEZ ſecundam ſpeciem a prima diſtinguit ſola tantum fructus magnitudine & horridi illius gravisque odoris magna ex parte abſentia; MARGGRAVIVS & PISO nos docent, ſaporem fructus maturi, ſed nondum flavi, eſſe auſteriusculum & adſtringentem, deinde gratum & mediæ naturæ, denique dulcem; SLOANE in tribus ſpeciebus recenſitis nullam aliam differentiam invenit, quam fructus magnitudinem eiusque carnem magis vel minus ſucculentam gratamque; RVMPHIVS annotat, Cuiavi domeſticæ alteram ſpeciem differre fructu paullo minori ac magis albenti, glabriori quoque & rotundiori, ſed multo ſuccoſiori delicatiorique & ſilveſtrem cum altera eius ſpecie convenire fructus carne, odore & ſapore, ſed hunc raro matureſcere atque minorem eſſe: ſilveſtrem præterea producere fructum odoris non adeo gravis, eamque fruticis modo creſcere, cultura in hortis vero accedente arboreſcere & tunc maiores fructus ferre delicatiores mollioresque; ceterum ſilveſtrem cum Americana eandem eſſe, ex collatione aliorum auctorum, præcipue IOSEPHI ACOSTÆ, concludit idem p. 143. MILLERVS denique l. c. in expoſitione addita inter alia hæc, latine reddita, adiungit: „ duæ ſpecies priores proferunt fructus, „ illi Meſpili & magnitudine & figura ſimiles. Caro primæ „ ſpeciei rubra eſt, ſecundæ alba: poſterior dulcior eſt priore, „ quæ auſtera & adſtringens deprehenditur quodammodo Granati fructui ſimilis: num vero hæ ſtirpes ſpecifice differant, „ determinare haud valeo. Tertia ſpecies ſponte creſcens „ reperitur in omnibus inſulis Americæ, ubi frequenter inter „ duas priores occurrit. Huius fructus eſt ferme ovalis & „ Groſſulariæ maiori magnitudine par, coloris obſcure albidi, „ maturus vero ſpirat odorem maxime fragrantem: ſiquidem „ unicus fructus odore ſuo amplum conclave replet, id quod „ nunquam obſervavi in ulla reliquarum ſpecierum, quarum „ fructus in Anglia ſæpius ad perfectionem pervenerunt. „ Quousque hæc conveniat cum Cuiavillo Rumphii, in cuius deſcriptione odoris præſtantioris nulla fit mentio, iudicent alii. Vtut autem hactenus recenſitæ differentiæ ex cauſſis accidentalibus variare queant: annotatæ tamen reperiuntur & aliæ, quæ conſtantem & omnino ſpecificam differentiam indicare videntur. Tales ſunt Cuiavi ſilveſtris rami quadranguli, quos non ſolum LINNÆVS pro charactere ſpecifico agnovit (attamen in *Spec. Plant.* iterum dimittit) verum etiam van REEDE æque ac RVMPHIVS ſigillatim indicavit, neuter vero in additis figuris, uti EHRETVS, repræſentavit.

Addit porro RVMPHIVS, ſilveſtris flores onuſtos eſſe ſtaminibus pluribus & magis extenſis, florum tres plerumque coniunctos ex uno petiolo prodire; ſed huic ultimæ notæ nec noſtra nec H. Malabarici figura reſpondet: an propterea illa RVMPHII iterum diſtinguenda? Tandem monemus, ſecundum OVIEDVM, teſte DALECHAMPIO & utroque BAVHINO, Guaiabo eſſe nomen arboris, Guaiaba vero fructus: ceterum Guaiavæ inſulæ mentionem facit de LÆT l. c. 341. Obſcurum eſt igitur etymon huius vocis, ex qua reliquæ derivatæ videntur: hinc lubenter LINNÆI nomen ſubſtitutum, Pſidium nempe, prætuliſſemus, niſi obſtitiſſet homonymum, ψιθια enim *Nicandri*, *Virgilii & Columellæ* ſeu Pſithium *Plinii*, vitis & uvæ paſſæ, nimis ſane ab hac ſtirpe differentis, ſpeciem ſignificant.

TAB. XLIV.

HAEMANTHVS Colchici foliis, periantheo herbaceo, *Dill. H. Elth. p.* 167. *t.* 140. *Mill. Gard. Dict. Rand. H. Chelſ. p.* 92.

Hæmanthus Zeylanicus polyphyllos caule maculato Commelini *Tilli H. Piſ. p.* 79.

Hæmanthus foliis lanceolatis *Linn. H. Cliff. p.* 127. *Roy. p.* 42. *Wachend p.* 309. *Hill. Hiſt. of plants p.* 384.

Hæmanthus foliis lanceolatis undulatis *Linn. Spec. pl. p.* 325. *n.* 2.

Dracunculoides *Bœrh. Ind. alt. II. p.* 266.

Expoſ. a. flos integer, *b.* ovarium infra florem, *c.* corolla diſſecta & explanata a facie interna cum ſex ſtaminibus tubo adcretis, *d.* ovarium denudatum, *e.* ſtylus cum ſtigmate obtuſo, *f.* bacca integra, *g.* transverſe ſecta, *h.* ſemen, *i---p.* idem iam vegetans.

Nota. Plantam hanc accuratiſſime iam delineavit & deſcripſit DILLENIVS, cuius cum deſcriptione conferri poteſt illa MILLERI atque BOERHAAVII. Poſterior baccam declarat monopyrenam, & talem etiam repræſentat noſtra figura *g. h.* Sed DILLENIVS monuit, baccam eſſe tricapſularem & triſpermam (cum quo conſentiunt MILLERVS atque LINNÆVS *Pl. Gen. no.* 347.) in imperfectis manifeſte conſpiciendam (quam etiam delineat) unum vero vel alterum tantum ſemen ad perfectionem pervenire. Eſt autem hoc nil inſoliti in pluribus aliis ſtirpibus ipſisque Europæis bacciferis, in quorum ſeminum numero definiendo haud raro hallucinati ſunt auctores non infimi ſubſellii, maturam tantum baccam examinantes: idem ſæpius quoque contingere in plantis ſic dictis verticillatis & aſperifoliis, notum eſt. Ceterum figura noſtra *f.* angulis ſuis plura loculamenta vacua indicare videtur. Sæpius laudatus MILLERVS præterita æſtate cum pluribus fructibus rariſſimis, ſingulari favore publice deprædicando, miſit etiam huius ſtirpis aliquot baccas ſiccas, omnes monopyrenas, quarum aliquæ chartis adhuc incluſæ vegetare cœperunt, quod iucundum ſpectaculum depictum conſervare haud ſupervacaneum duximus, ſiſtit ergo *i.* baccam ſiccam membranaceam, *k.* eius petiolum, *l.* umbilicum, cum quo adhuc cohærent ſeminis exuviæ corrugatæ *m.*, ex quarum ima parte prodiit radicula *n.* bulbum novum *o.* alens, in quo pro excludendo ſcapo veſtigia *p.* ſatis manifeſte iam diſcerni poſſunt. Num hæc ſtirps & Satyrium e Guinea delatum Robini ſit una eademque planta, ſollicite etiam inquiſivit idem DILLENIVS. Reperitur hæc figura in libro, cui titulus: *le Jardin du Roy tres Chretien Henry IV. &c. par* PIERRE VALLET, *brodeur ordinaire du Roy*, 1608. *tab.* 41. cuius cura, conſentiente IO. ROBINO, Botanico Regio & Iatrici horti curatore (qui etiam brevem aliquot rariorum plantarum, & inter eas huius quoque Satyrii, deſcriptionem addidit) hæ effigies in publicum prodierunt. Eandem ipſam effigiem citatam paullo poſt, nempe 1612. repræſentavit SWERTIVS *Florileg. P. I. t.* 62. absque auctoris nomine, imo in nominum indice addidit, hanc plantam nondum eſſe deſcriptam, quum tamen certo certius eius figura nullatenus ſit alia, ſi excipias tuberis fibras, neſcio quo conſilio, exiguis globulis terminatas. Swertianæ imaginis imitationem A. 1626. iterum publicavit *Anthologia ſeu Florilegium in officina Bryana excuſum t.* 44. (ubi turpi plagio, præter icones, deſcriptiones quoque ROBINI ſine auctoris nomine reperiuntur) ut & MATTH. MERIAN *Florilegium renov. & auctum A.* 1641. ſequutum *t.* 44. nec non A. 1719, VALENTINI *Viridarium reformatum t.* 198., quæ cumilla Meriana & Bryana tabula una eademque eſt. Interea etiam hæc ipſa effigies iterum comparuit A. 1701. in OL. RVDBECKII *Camp. Elyſ. L. II. p.* 210. *t. III.* qui pedunculum cum tubere coniunxit, ſed figuram, uti omnes rariſſimi huius libri, ligno tantum inciſam exhibuit, ſolus vero ingenue faſſus eſt, ſe plantam non vidiſſe. Poſtquam huius plantæ effigiem cum ſua planta curatius comparavit DILLENIVS & differentias haud leves annotavit, tandem concludit: „ ſi figura ſit „ accurata, non poteſt eſſe noſtra planta; accuratam vero „ eſſe vix crediderim & eandem cum noſtra plantam figurari „ ſuſpicor. „ Quanquam autem in reliquis figuris tot tantosque errores haud commiſerit VALLET, id quod aſſertionem hanc dubiam facere poſſet, eandem tamen firmare videtur icon poſtea ab ALB. SEBA *Theſ. I. t. XII.* exhibita & *p.* 20. nominata Hyacintho affinis Africana, tuberoſa caule elegantiſſime maculato, foliis Colchici latiſſimis, floribus coccineis, hexapetalis, umbellatis *Hort. Beaum.* quo nomine indicatam plantam pro ſua agnovit DILLENIVS. Hæc imago differt a Robiniana & convenit cum Dilleniana & noſtra pedunculo florido non ex foliorum gremio, ſed ad eorum latus, prodeunte; florum pediculis non nodoſis aut articulatis, ſed integris; corollæ ſubiecto ovario non adeo tumido; foliorum marginibus undulatis, & radicis tubere magis conico. Differt autem eadem a Dilleniana & noſtra, propius vero convenit cum Robiniana, florum copia multo magis diſperſa, eorum tubo anguſto & cylindrico, limbo in ſegmenta anguſtiora, acutiora & ampliſſimè explanata diviſo, ſtaminum filamentis longioribus & magis expanſis: inſuper radicis tuberi non inſidet novum tuber pro pedunculo florigero excludendo, illius vero fibræ multo tenuiores ſunt, quam in Dilleniana & noſtra figura. Ceterum magnitudo totius iconis multum excedit Robinianam & ſpatha penitus omiſſa eſt, quam tamen, licet in anguſtiora & reflexa ſegmenta diviſam, illa indicat. Deſcriptio addita brevis pariter, ac illa Robiniana, ad hæc declaranda minus ſufficit. Ex his omnibus probe ponderatis omnino plusquam probabile videtur, & SEBÆ & ROBINI effigiem potius haud omni accuratione, immo Robinianam nonniſi ad ſiccatum exemplar effictam eſſe, quam aliam ſpeciem indicare. Quod ad reliquas a laudato DILLENIO citatas PETIVERII & LOBELII figuras attinet, illæ tam viles & imperfectæ ſunt, ut earum comparatio difficillima ſemper futura ſit. His ſubiungimus, periantheum equidem in noſtra imagine herbaceum non eſſe; coloris vero differentiam a ſoli ſolisque benignitate dependere, vidimus in planta hic locorum culta, cuius periantheum parum tinctum atque etiam flores coloris multo dilutioris apparebant.

TAB XLV.

HELIOCARPVS *Linn. H. Cliff.* 211. *t. XVI. Roy. Fl. Leyd. Prodr.* 477. *Wachend.* 91. *Hill Hiſt. of Pl.* 481.

Montia arboreſcens, Abutili folio ſerrato, fructu racemoſo Houſt. *Mill. Gard. Dict.*

Expoſ. a. flos ſeparatus a facie antica; *b.* poſtica, *c.* racemus cum capſulis maturis, *d.* capſula ſeparata cum radiis ſuis, *e.* eadem aperta bilocularis, *f.* ſemina, *g. b. i.* eædem partes in magnitudine aucta.

Nota. LINNAEVS *H. Cl. l. c.* propterea mutavit nomen huius ſtirpis ab HOVSTONO ipſi adſcriptum, quia ante hunc Montiæ nomine aliud plantarum genus iam indigitavit MICHELIVS. MILLERVS non ſolum Montiæ nomen retinuit, verum etiam corollæ ſtructuram definit monopetalam infundibuliformem, cuius pars ima tubuloſa, ſuperior expanſa & in quinque partes ſecta eſt, quæ in *Linn. Gen. Pl. edit. I. n.* 444. *II. n.* 530. tetrapetala pronunciatur & in Horto Cliffortiano talis etiam depingitur. Quoniam EHRETVS in noſtra imagine floris analyſin omiſit, hæc plura non declarat, quam quatuor ſegmenta; forſan autem quinarius eorum numerus haud rarior eſt. Staminum numerum LINNAEVS in generis definitione citata ad 14. extendit, proptereaque hanc ſtirpem polyandriis adſcribit, in ſpeciebus Plantar. vero p. 448. dodecandriis adnumerat. HILLIVS characteris definitioni Linnæianæ, Anglice tantum redditæ, nihil addidit. Racemum cum capſulis depingendum nobiscum communicavit iterum laudandus BEVRERVS. qui eius exemplar inter plantas ſiccas aſſervat. Alter loculorum diſpermos obſervabatur, ex quibus binis ſeminibus vero alterum, in ſede ſua relictum, ad perfectionem non pervenit.

TAB. XLVI.

POPVLVS foliis longe petiolatis, oblongo lanceolatis, ſerratis, ſubtus albicantibus, mas.

Tacamahaca foliis crenatis, Sadelhout, ſeu lignum ad ephippia conficienda aptum *Parad. Bat. Prodr.* 379. *Pluck. Phytogr. t.* 228. *f.* 2. *Almag.* 360. *Miller. Gard. Dict. app.*

Expoſ. a. Iulus ſeu amentum maſculinum; *b.* ſquama ſeparata; *c.* eadem a facie interna, magnitudine aucta.

Nota. Huic effigiei EHRETVS ſubſcripſit hæc: „ Tacamahaca „ vulgo, Populus gemmis balſamum fundentibus. Iulus appa„ rebat hoc anno 1748. ſine foliis, & deinde iterum cum foliis, „ uti hic repraeſentatur.„ MILLERVS l. c. nomine Tacamahacae ſupra indicato deſcribit arborem, quæ ſponte creſcit in terris continentibus Americæ, ubi incolæ verno tempore vulnerant eius truncum, ad eliciendum balſamum a medicis illius regionis maxime celebratum atque etiam catalogo ſimplicium inſertum, cuius vero uſus nunc in Anglia exiguus eſt. Aliquot huius arboris ſoboles ante paucos annos ex Canada in Galliam apportabantur, unde nonnulli curioſi eas in inſulam *Jerſey* introducebant, in hortis propagabant, indeque Angliæ reginæ poſtremæ nomine Arbre de la Reine dono mittebant. Arbor hæc ſatis reſiſtere valet hiemali climatis noſtri frigori libero ſub aere &c. Flagella eius, pariter ac folia, penitus ſimilia ſunt illis populi nigræ, & gemmæ, anno renaſcente, antequam folia excludunt, tectæ ſunt balſamo glutinoſo obſcuri coloris, quod tactum digitis adhæret gravemque ſpirat odorem. Folia circa feſtum Michaelis cadunt, & nova prodeunt ſub finem Februarii aut initium Maii: eſt namque ex arboribus, quæ verno tempore primæ regerminant. Earum plures nunc coluntur in horto Chelſeano, quæ produxerunt flores ſuos maſculinos ſeu iulos, qui valde ſimiles ſunt illis nucis iuglandis aut populi, hincque probabile eſt, eam eſſe ſpeciem poſterioris generis; quoniam vero fructus conditio ignota eſt, & in hortis Angliæ nulla harum arborum eum hucusque produxit, genuinum genus definiri nequit. Arbor vaſtis diſpanſa ramis haud videtur, quantum ex iis in Anglia creſcentibus colligi poteſt, ubi nec ultra 14. vel 16. pedum altitudinem nec in amplos caudices excreſcunt, ex fundo autem ſurſum plures protrudunt ramos laterales ſeu ſtolones. Hactenus ille. Si hac cum deſcriptione comparatur noſtra imago nomenque ab EHRETO adſcriptum: nullum ſupereſt dubium, quin unam eandemque declarent ſtirpem; populi autem eam eſſe ſpeciem genuinam, eo minus dubitamus, quo magis non ſolum huius arboris totus habitus atque balſami ex gemmis profuſio, aliis populi ſpeciebus communis, reſpondet, verum etiam in eo convenit, quod ſolos maſculinos flores ferat, uti populus, quum in iuglande & maſculini & feminini flores in una eademque arbore reperiantur, & naturæ legibus, præſertim in ſtirpibus ſucculentis ad vires ſuas perfectas absque impedimento pervenientibus, non reſpondeat, ut poſt aliquot demum annos feminini flores hosque ſubſequuturi fructus cum maſculinis prodeant: anno nempe 1748. EHRETVS depinxit flores maſculinos & A. 1752. MILLERVS evulgavit nuperrimam Dictionarii ſui editionem, quo tempore feminini nondum comparuerunt. Perſuaſi ergo ſumus, hanc ſtirpem nunquam fructum prolaturam, ſed eius femellam propriam accerſendam eſſe pro notis floris feminei definiendis. Populum nigram folio maximo gemmis balſamum odoratiſſimum fundentibus deſcribit & delineat CATESBY *natural hiſtory of Carolina &c. T. I. tab.* 34. *& Seligmanniana in editione tab.* 68. quæ eſt Populus foliis ſubcordatis oblongis crenatis *Linn. H. Cliff.* 460. *Spec.* 1034. *n.* 4. cuius notæ ſpecificæ ab illis noſtræ valde differunt. An cum noſtra imagine magis conveniant illæ notæ Populi foliis ovatis, acutis, ſerratis *Gmel. Flor. Sibir. I. p.* 152. *t.* 33. quam & Catesbyanam pro una eademque habet LINNAEVS *l. c.* aliis diiudicandum relinquimus: huius certe foliorum figura & totius ſtirpis altitudo magis reſpondet noſtræ ſtirpis deſcriptioni atque imagini, quam Catesbyanæ. Hanc noſtram ſtirpem & Tacamahacam P. B. Pr. & PLVKENETI eſſe unam eandemque, maioribus adhuc premitur difficultatibus. Auctor paradiſi Batavi prodromi dubius quidem addit: an Tecomahaca *Hernandez rer. med. novæ Hiſp. Theſ. p.* 55. & PLVKENET (cuius icon Hernandeſianæ quoad foliorum figuram & coniugationes valde ſimilis eſt; flos vero & fructus neque delineantur, neque deſcribuntur) absque ulla hæſitatione illam pro ſynonymo agnoſcit; ſed HERNANDESII figura æque ac eius deſcriptio ſiſtit fructum in poſtremis ramorum flagellis creſcentem, parvum, obrotundum, fulvum ac ſemine nucleo perſici haud abſimili refertum; folia præterea obrotunda (ſeu potius, ſecundum figuram, ex rotunda baſi oblonga & acuminata) mediocria, ſerrata, &, quod præcipue notandum, non alterno, ut in noſtra imagine, verum coniugato ordine, & quidem ad modum compoſitorum ſine impari. Arboris Tacamahacæ deſcriptiones NIC. MONARDIS *ſimpl. hiſt. p.* 5. & ex hoc CLVSSII *exotic. p.* 298. & IO. FRAGOSI *aromat. hiſt. p.* 97. b. magis adhuc mutilæ & imperfectæ ſunt, nec plura referunt, quam quod arbor magna ſit, ut populus, admodum odorata, & fructus ruber, pœoniæ ſeminis modo. LINSCHOTVS *Ind. Or. P. IV. c. VII. p.* 110. hanc arborem deſcribit altam, eius folia longa anguſtaque, fructus prunis noſtratibus magnitudine ſimiles: quæ deſcriptio a noſtra imagine iterum quam maxime differt. Quæ recentiores auctores, C. BAVHINVS *Pin. p.* 430. *n. I. II.* I. BAVHINVS *Hiſt. I. Libr. IX. c.* 60. *p.* 346. PARKINSONVS *Theatr. bot.* 1608. & RAIVS *Hiſt. II.* 1846. *n.* 11. de arbore hac protulerunt, ex auctoribus hactenus citatis mutuata ſunt. POMET *Traité gen. des drogues* 263. aliam quidem affert deſcriptionem & iconem, ſecundum quam arbor populo pariter quidem ſimilis dicitur; ſed folia viridia cum illis buxi comparantur, & fructus rubri nucis noſtratis magnitudine deſcribuntur, quibus tamen icon minime reſpondet proindeque ficta potius videtur. Quæ IAC. SAVARY *Diction. univ. de Commerce p.* 911. refert, ex POMETO deſumta ſunt. WEINMANNVS *Phytanthoz. t.* 960. *fig. a.* folia repræſentat parva, crenata, & pruno ſilveſtri perſimilia, fructum colore ſanguineo & magnitudine prunis damaſcenis haud inferiorem: ſed ſuſpicionem de hac quoque imagine non genuina habenda auget deſcriptio *p.* 395. *ſequ.* (ubi Tacomaree Braſ. ut ſynonymum perperam additur, quæ arundo ſaccharifera eſt, vid. *Marggr. Hiſt. Braſ.* 82. & *Piſo* 108.) ex auctoribus iam citatis tantum deſumta. Si autem veri quid contineant hæ deſcriptiones, id tantum probant, hanc arborem nil commune habere cum noſtra, & comparationem cum populo ad ſolam magnitudinem, vel ad ſummum etiam ad faciem externam eius, eſſe referendam. Neque tamen recentiſſimi & praeſtantiſſimi auctores, e. c. DALE *Pharmacol. edit. Lugd. Bat.* 1739. 4. *p.* 330. *n.* 4. IO. BOECKLERVS *Comment. ad P. Herm. Cynoſ. mat. med. p.* 657. NEVMANNVS *Chymiæ med. T. II. P. III. a Keſſelio edit. p.* 72. & GEOFFROY *Traité de la matiere medicale T. IV. Sect. I. p.* 104. alia, quam hactenus allata ſunt, nos edocere potuerunt, unde palam eſt, arborem, gummi tacamahacam iam dudum notiſſimum & uſu probatiſſimum fundentem, ſecundum proprios characteres ſuos omnino adhuc incognitam eſſe. IAC. BREYNIVS *Eph. N. C. Dec. I. a. III. p.* 516. deſcribit Tacamahacam liquidam, Guiana ex provincia allatam, ſed arboris, ex qua colligitur, nullam prorſus mentionem facit.

TAB. XLVII.

CROTALARIA foliis ſolitariis lanceolatis, lanuginoſis, petiolis ſeſſilibus, caule ramoſo ſtriato, flore magno aureo.

Expoſ. a. Vexillum; *bb.* duæ alæ; *c.* carina; *d.* ſtamina & piſtillum in nexu naturali; *e.* ſtamina decem connata & explanata, ex quinque filamentis brevibus & antheris longis, & ex quinque filamentis longis & antheris brevibus ſphæricis compoſita; *f.* piſtillum ſeu ovarium cum ſtylo recurvo eiusque ſtigmate laterali; *g.* calyx eiusque labium ſuperius bipartitum a vexillo repando depreſſum, inferius tripartitum connivens, carinam excipiens; *h.* fructus ſeu legumen.

Nota. Noſtræ imaginis absque nomine acceptæ planta, referente EHRETO, Orientem agnoſcit pro patria, & ſex ferme pedum alta atque in tres vel quatuor ramos explicata, A. 1744. in horto Chelſeano floruit. Ex Crotalariæ ſpeciebus hucusque depictis & deſcriptis nulla propius ad noſtram accedit, quam Crotalaria foliis lanceolatis, petiolis ſeſſilibus, caule ſtriato *Linn. H. Cliff.* 357. *n.* 2. ubi ſimul exacte deſcripta reperitur; vexillum tamen noſtræ non flavum

ſed aureum, & ſtaminum conformatio peculiaris eſt, quam EHRETVS non ſolum depinxit, verum etiam in nota addita, ſollicito examine repetito, admiratus eſt, LINNAEVS vero non annotavit, qui etiam leguminis figuram non deſcripſit. Quod ad figuras attinet, quas laudatus auctor in ſynonymis l. c. additis citat, illæ omnes parum reſpondent noſtræ, quam procul dubio ob rationem ipſe *Spec. Plant. p.* 714. *n.* 3. unicum tantum ſynonymum ſervavit, ſcilicet Crotalariam Bengalenſem, foliis Geniſtæ hirſutis *Pluk. Almag.* 122. *Phytogr. t.* 169. *f.* 5. ſed huius quoque figura cum noſtra vix comparari poteſt.

TAB. XLVIII.

AZALEA ſcapo nudo, floribus confertis terminatricibus, ſtaminibus declinatis *Linn. H. Cliff.* 69. *Mill. Gard. dict. edit. noviſſ. app.* 5.

Azalea foliis ovatis, corollis piloſis, ſtaminibus longiſſimis *Linn. Spec. Pl. I.* 150. *n.* 3.

Azalea ramis infra flores nudis *Gronov. Fl. Virg. I.* 21.

Ciſtus-Ledon flore monopetalo rubente, caprifolio ſimili, odorato, capſula ſicca longa anguſta, per maturitatem quinquefariam dehiſcente *Clayt. ibid.*

Ciſtus Virginiana, flore & odore Periclymeni D. Banniſteri *Pluk. Almag.* 106. *Phytogr. t. CLXI. f.* 4. *Catesb. I. p. & t.* 57.

Expoſ. a. Flos integer; *b.* calyx breviſſimus; *c.* ſtamina declinata, ſeu deorſum flexa longiſſima; *d.* ſtilus cum ſtigmate globoſo; *e.* corolla diſſecta & explanata; *f.* ovarium, cui ſtilus inſidet & ſtamina adſtant; *g.* ſcapus cum fructu maturo; *b. b.* gemmae foliorum florumque anni ſubſequuturi & per totam hiemem iam conſpicuae; *i.* fructus quinquelocularis & corona quinquifida ornatus; *k.* idem, maturus in quinque loculos facile a ſeminum axi ſecedentes dehiſcens; *l.* calyx perſiſtens; *m.* loculi tegumentum ſecedens; *n.* idem ſeparatum, *o.* transverſe diſſectum quaſi trigonum; *p.* fructus transverſe ſectus cum quinque loculis contiguis; *q. q. q.* ſtyli pars perſiſtens; *r. r.* axis cum ſtylo continuus, cui quinquepartitim adhaerent copioſa ſemina foliacea; *s. s.* ſemen in naturali *t.* aucta magnitudine, *u.* diſſectum tenuitatem indicans.

Nota. Eleganter delineatam hanc ſtirpem iam exhibuit PLVKENETVS, qui effigiem, ab ipſo BANNISTERO factam, accepit communicatam; differt autem a noſtra imagine florum ſuperficie piloſa & foliorum ſitu ex adverſo bino: coloris in flore mentionem nullam facit. Num piloſitas (quam etiam ſupra tab. XXXVIII. p. 10. a. annotavimus) ubique conſtans, an climatis tantum productum ſit, aliis diiudicandum commendamus: certe nec noſtra, nec Catesbiana imago horum veſtigium manifeſtat. Eſt autem hoc Catesbianum exemplar minori cura elaboratum tum floris tum ſeminis capſularum figurae intuitu, cuius inſuper explicatio imperfecta eſt. Ceterum hic atque etiam MILLERVS floris colorem varium indicat ita, ut in aliis albus, in aliis ruber, iterumque in aliis purpureus compareat: Catesbiana imago in exemplari noſtro picto cum noſtra penitus colore convenit. GRONOVIVS ſimplicem varietatem hanc tacet; recenſet vero l. c. Azaleam ramis infra flores folioſis & ex obſervatione CLAYTONI addit, eſſe hanc ſpeciem flore albo glutinoſo odoratiori. Num haec, foliorum ſitu vere differens ſpecies, quae eſt Azalea foliis margine ſcabris, corollis piloſo-glutinoſis *Linn. Spec. Pl.* 151. *n.* 4., alia ſit, quam illa floris tantum colore varian-e, modo indicata, doceant alii. LINNAEVS in plantar. ſpeciebus omnia immutat. Nomen, in horto Cliffortiano indicatum & noſtram imaginem ſatis apte definiens, hic non ſolum mutat, atque ab eo ſeparat nomen Plukenetianum & Catesbianum ſupra citatum antea cum hac ſpecie coniunctum, nunc autem ad n. 4. demandatum; verum etiam ei iungit Ciſtum Virginianam Periclymeni flore ampliori minus odorato *Pluk. Mant.* 49. & Azaleam erectam, foliis ovatis integris alternis, flore luteo piloſo praecoci *Cold.* 25. Quo iure hoc fecerit, noſtrum non eſt disquirere: Catesbiana & noſtra ſtirps certe eſt eadem, & Londini Banniſteriano ſub nomine colitur, neque vero colorem floris luteum neque ramos infra flores folioſos habet. Noſtram imaginem iam ante aliquot annos ad nos transmiſit EHRETVS, ſed absque fructus repraeſentatione, quam anno 1753. demum ad exemplar in horto Domini IO. ELLIS maturitatem conſequutum elaboravit & nobiscum communicavit. Characterem huius generis iam expoſuit LINNAEVS *Gener ed. I. n.* 151. & pauciſſimis mutatis *ed. II. n.* 154. *edit. V. n.* 195. quem iterum ſola interpretatione ſequutus eſt HILL *p.* 268. Ab hoc charactere recedit noſtra ſpecies germinis, capſulae & ſeminum figura. Praeter hanc ſpeciem plures adhuc recenſet LINNAEVS *Flor. Lappon. n.* 89. 90. *Fl. Suec. n.* 170. 171. *Spec. Plant, I. p.* 150. *n.* 1---6.

TAB. XLIX.

ANONA foliis ovatis acutis, flore albido ungue purpureo, fructu coniformi tuberoſo nigricante.

AnGuanabanus Perſeae folio, flore intus albo exterius vireſcente, fructu nigricante ſquamato, vulgo Cherimolia *Feuillée Journ. des obſ. phyſ. &c. p.* 24. *t.* 17?

Expoſ. a. Calyx exiguus triphyllus; *b.* flos ab anteriori facie cum ſtaminum breviſſimorum ſeu potius antherarum faſciculo & piſtilli ſtigmate triquetro; *c.* petalum transverſe ſectum, ubi apparet eius unguis excavatus, & compages craſſa triquetra; *d.* fructus ex *Feuillée*; *e.* idem a facie laterali alia, *f.* a facie poſtica; *g.* idem transverſe ſectus; *b.* ſemen; *i.* nucleus denudatus.

Nota. Anon, Anonae & Guanabani nomine dudum iam notae fuerunt nonnullae ſtirpes, teſte C. B. *pin. p.* 434. *a. n.* 8. 9. 10. *p.* 439. *b. n.* 3. ad quas ab aliis etiam referuntur Quautzapotl *Hern. p.* 90. & Ate vel Ahate de panucho (quae omnino huc pertinet) *eiusd. p.* 348. & 454. nec non ex BOYM *Flor. Sin. tab. D. E. M.* & *N.* (absque dubio huc pertinet ultima Ya-ta dicta) a quibus omnibus autem non niſi obſcura incertaque tradebantur. Immortalis memoriae van REEDE *H. Malab. T. III. t.* 29. 30. 31. duas ſpecies deſcribendas & depingendas curavit tam accurate, ut ex his iam floris fructusque character cognoſci poſſit: harum ſynonyma curatius adhuc conquiſivit C. COMMELINVS *Flor. Malab. p.* 5. *a.* Hunc ſequutus eſt PLVKENETVS, qui *Almageſt. p.* 31. *ſeqq.* (*conf. Mantiſſ. p.* 14.) praeter unam varietatem ſeptem ſpecies nominat totidemque figuris delineat, quibus tamen nonniſi folia & ſemina ſtudioſe repraeſentavit. Eodem tempore prodiit SLOANE *Catal. pl. Jamaic.* ubi *p.* 203. *ſeqq.* octo ſpecies producuntur & ſynonymis ſuis illuſtrantur, quae iterum novis curis recenſentur *Itinerar. Vol. II. p.* 166. *ſeqq.* earumque ſex figuris ſeptem quoad ramum folioſum fructumque in magnitudine naturali, nullius vero tum floris figura tum fructus ſtructura interna delineantur, petala tamen fructusque facies externa ac color ſubinde deſcribuntur. Figura atque deſcriptio, quam deinde I. COMMELINVS *H. Amſt. I. t.* 69. *p.* 133. publicavit, imperfecta eſt & in notis adiectis quatuor deſcribuntur fructuum tantum differentiae. Paullo poſt PLVMIER *Pl. Amer. Gen. p.* 43. *& ult.* Guanabani nomine ſex recenſet ſpecies inter SLOANE ſynonyma in Itinerario addita reperiundas, RAIVS vero *Hiſt. T. II. p.* 1650. *ſeqq.* novem collegit ſpecies, & *T. III. Dendrol. p.* 77. *ſeqqu.* quasdam earum notis illuſtrat novemque alias potiſſimum ex SLOANEI recenſione ſuperaddit, quarum tamen aliae charactere huius generis non gaudent, aliae etiam bis alio nomine occurrunt. Haud ita pridem in RVMPHII *Herb. Amb. T. I. t.* 45. & 46. iterum comparuerunt duae illae ſpecies ex H. Malab. citatae, (figuris tamen non omni ex parte ſimilibus, ut ipſe iam annotavit BVRMANNVS *ibid. p.* 138.) addita pariter floris & fructus ſtructura, in deſcriptione paullo uberius expoſita. His denique acceſſerunt quinque ſpecierum figurae vivis coloribus a CATESBY *Vol. II. p. & t.* 64. 67. 85. 86. 87. repraeſentatae, ex quibus 85. eſt illa, cuius imaginem accuratiorem tab. V. iam exhibuimus, 87. autem huc non pertinet; neque dubium eſt, quin plures harum ſtirpium, Anonae vel Guanabani nomine hucusque recenſitarum, partim cum huius generis characteribus non conveniant, partim praeter naturam multiplicatæ ſint, de quibus mox plura. Eſt enim hiſtoria huius ſtirpis eiusque ſpecierum adhuc valde obſcura potiſſimum ex eo, quod vix una vel altera earum in Europa educata, & nulla adhuc ad fructum perficiendum perducta eſt, auctores vero, qui eandem in patria ſua obſervarunt, vel in omnibus notis genericis & ſpecificis annotandis aut delineandis minus accurati, vel ſaltem occaſione, omnes ſpecies hucusque recenſitas inter ſe conferendi, deſtituti fuerunt. Accuratus ergo omnium ſpecierum ſynonymorum index nunquam forte exſpectandus eſt, quod conamina PLVKENETI *Almageſt.* & *Mantiſſ.* C. COMELINI *Flor. Malab.* RAII *Hiſt. T. II. & III. Dendrol.* SLOANE *Cat. Pl. Jam.*

&

& *Itiner.* BVRMANNI *Theſ. Zeyl.* & *Comment. in H. Amboin.* ſatis iam probant; ex iis tamen ſpeciebus, quarum flores fructusque paullo accuratius deſcripti vel depicti ſunt, id certum colligi poteſt, florem conſtare ex calyce triphyllo & corolla tripetala, fructum vero eſſe multilocularem, ſingulosque loculos unicum continere nucleum, ea tamen differentia, ut, quod ad florem pertinet, duos conſtituant ordines. Nimirum ordinis I. calycis folia ſunt craſſa, cordiformia, petalisque maiora, ipſaque petala ſatis etiam firma, oblonga & excavata. Ita ſane ſiſtitur 1.) Araticu ponhe *Marggr. Hiſt. Braſ. p.* 93. & *Piſon. Hiſt. Ind. p.* 142. ubi male quidem depingitur, ſed a MARGGRAVIO ſollicite hiſce deſcribitur: „ *Hinc inde* „ *provenit flos magnus, egregius, magnitudine ſuperans florem Fri-* „ *tillariae, totus flavus, exterius compoſitus e tribus foliis cordi-* „ *formibus, ſesquidigitum longis, & craſſis inſtar corticis aurantii* „ *mali, erectis, quae in ſui medio continent alia tria minora &* „ *dimidiae craſſitiei, quorum quodlibet ſemiglobum excavatum refert,* „ *tria autem haec ita compoſita & extremitatibus ſibi impoſita ſunt,* „ *ut globum integrum interius cavum & magnitudine iuglandis refe-* „ *rant &c.* „ quae brevius repetit PISO. Eadem MARGGRAVII deſcriptio exſtat quoque in RAII *Hiſt. T. II. p.* 1651. *n.* 5. ubi comparatur cum Araticu prima ſeu ſimpliciter dicta *Franc. Redi Exper. nat. (edit. lat. Amſtel.* 1675. 12. *p.* 70. & 75. *edit. Ital. Venet.* 1712. 8. *mai. T. II. p.* 45. *ſeqq.* utrimque cum figura in nat. magnitudine; ſed tantum quoad externam faciem) & cum una eademque MARGGRAVII icone occurrit in WORMII *Muſ. p.* 186, cui SLOANE iungit ſuam Anonam maximam, foliis latis ſplendentibus, fructu maximo viridi conoide, tuberculis ſeu ſpinulis innocentibus aſpero *Cat. p.* 203. *Itiner. T. II. p.* 166. *n. XXIX. t.* 225. ubi vero floris delineatio nulla & deſcriptio non eadem, ſiquidem trium foliorum viridium & trium petalorum craſſorum ex luteo virideſcentium mentionem tantum facit. Haec autem eſt Annona foliis ovali-lanceolatis glabris nitidis planis, pomis muricatis *Linn. H. Cl.* 222. *Sp. Pl.* 536. *n. I.* 2) Araticu pana *Marggr. ibid. p.* 94. & *Piſon l. c. p.* 142. ubi MARGGRAVII deſcriptio declarat hunc florem eiusdem figurae ac ſtructurae, ſed minorem, pariter totum luteum, cum unguibus tamen omnium ſex foliorum ad internam partem ſanguineis, PISO vero, ſed uti videtur oſcitanter, eum deſcribit intus luteum, extus ſanguineum, qui porro *p.* 306. figuram addit, cuius flos ruditer delineatus deſcriptioni ſatis reſpondet, fructus vero ſubrotundus & laevis penitus differt a priori conico & ſpinoſo, cui tamen, praeter magnitudinem itidem minorem, ſimilis declaratur a MARGGRAVIO & PISONE in deſcriptione. Haec Araticu pana ut ſynonymum iungitur a SLOANE ſuae Anonae aquaticae foliis laurinis atrovirentibus, fructu minore conoide luteo, cortice glabro in areolas diſtincto *Cat. Jam.* 205. *Itin. II.* 169. *n. XXXII. t.* 228. ubi vero ſemina tantum delineantur, ceterum floris quoque deſcriptio omittitur. *conf. Rai. III. Dendr. p.* 78. *n.* 1. 3) Zuurſak *Merian. Inſect. Sur. t. XIV.* cuius floris deſcriptio & icon parum recedit a n. 1. & in exemplari noſtro picto totus dilute luteus apparet, fructus vero magis differt ab illius figura & deſcriptione, quam MARGGRAVIVS praecipue dedit, qui in exemplari picto obſolete viridis eſt. 4) Anona fructu viridi laevi pyri inverſi forma *Catesb. T. II. t.* 67. quae cum icone Meriana modo citata etiam valde convenit, differt tamen flore minori, calycis colore viridi, petalis candidis & fructus ſuperficie ſaturate viridi & penitus glabra, quae in Meriana ſpinoſa eſt. 5) Cum hac floris compage & figura exacte quoque conveniunt PLVMERII figurae *Pl. Amer. Gen. tab.* 10. Ordo II. e contrario manifeſtat calycis folia tria, pariter quidem triangularia, ſed tam exigua, ut cum trium petalorum magnitudine vix comparari queant, utpote quae ſunt anguſta quidem, ſed ſatis longa, coriacea, triquetra & obtuſe mucronata. Ita eadem non ſolum repraeſentat tabula noſtra *fig. a. a. b. b. c.* verum etiam 6) Guanabani ex FEVILLEE citati deſcriptio ſatis exacta, licet eius icon, quam noſtrae tab. fig. k. repraeſentat, absque cura facta ſit. 7) Attamaram *H. Malab. P. III. p.* 21. *t.* 29. ubi floris partes ſatis apte deſcribuntur & delineantur. Eſt haec Anona indica pomo viridi Par. Bat. *Commel. Fl. Mal. p.* 5. *a.* & Pomifera indica fructu conoide ſquamoſo viridi *Rai Hiſt. II. p.* 1650. *n.* 1. *T. III. Dendrol. p.* 77. *n.* 1. ibique tanquam ſynonymum additur Anona foliis odoratis minoribus, fructu conoide ſquamoſo parvo dulci *Sloan. Cat. p.* 205. *Itin. p.* 168. *n. XXXI. t.* 227. ubi floris icon nulla, deſcriptio vero ſufficiens. Eſtque Anona tuberoſa *Rumph. Herb. Amboin. P. I. p.* 138. *t.* 46. ubi floris analyſis iisdem H. Mal. figuris ſiſtitur. Eſt etiam Annona foliis oblongis, fructibus obtuſe ſubſquamatis *Linn. Sp. pl.* 537. *n.* 2. 8) Anona maram *H. Mal. T. III. p.* 23. *t.* 30. 31. ubi iterum t. 30. floris partes, & quidem adhuc curatius, delineantur, in deſcriptione vero, eas a priori vix differre, tantum annotatur. Habetur haec pro Anona Indica fructu parvo violaceo *Herm. Cat. app.* 645. *Commel. Fl. Malab. p.* 5. *a.* & *Rai. H. II. p.* 1650. *n.* 2. *III. Dendr. p.* 77. *n.* 2. cum qua tamen definitione nullatenus conveniunt fructus figurae nec etiam deſcriptio H. Malabarici. RAIO *Dendr. l. c.* ſynonymum eius eſt Anona maxima, foliis oblongis anguſtis, fructu maximo luteo conoide, cortice glabro in areolas diſtincto *Sloan. Cat. p.* 204. cui etiam ſubſcribit ipſe SLOANE *Itin. II. p.* 167. *n. XXX. t.* 226. nihilominus tamen figura propius quam deſcriptio cum H. Mal. figuris convenit, minime vero HERMANNI definitioni reſpondet: floris deſcriptio imperfecta eſt. 9) Anona *Rumph. H. Amb. p.* 136. *t.* 45. cuius floris deſcriptio & delineatio, licet manca, huc referenda eſt. In obſervatione a BVRMANNO p. 138. ſubiuncta declaratur pro ſpecie ſecunda H. Malab. ſed nec floris, nec fructus, neque etiam foliorum imagini reſpondet. 10) Anona maxima, foliis oblongis anguſtis, fructu maximo luteo conoide, cortice glabro in areolas angulares diſtincto *Catesb. T. II. p.* & *t.* 86. cuius flos exiguus in noſtro exemplari totus viridis pingitur. Eſt haec Anona foliis lanceolatis, fructibus ovatis reticulato-areolatis *Linn. ſp. pl.* 537. *n.* 3. Quod ad interiores ſeu eſſentiales floris partes i. e. ſtamina & piſtillum attinet, horum ſtructuram pauci attigerunt. MARGGRAVIVS *l. c.* & ex hoc RAIVS *II. p.* 1651. *n.* 5. deſcribit ſtamen globoſum magnitudine avellanae luteum & in ſtamine apicem parvulum rotundum, additque, utrumque praeditum eſſe tuberculis exiguis luteis, eaque videri ut poros in cute hominis algentis. SLOANE mentionem tantum facit capituli rotundi villoſi (*rough*) in deſcriptione Anonae XXIX. p. 167. & XXXI. p. 168. HENR. van REEDE, H. Malab. Auctor, in deſcriptione utriusque ſpeciei has partes quidem praeterit, tab. vero 30. quatuor figuris delineat: quum vero nullam explicationem addidit, neque etiam ullum ſtaminum veſtigium expreſſit, ſed duos tantum orbiculos, minorem maiori impoſitum, repraeſentavit, tam perſpicuum haud eſt, quaenam ſingula ſigillatim ſignificent: inferior maior orbiculus ubique aequalis, videtur ovarium, ſuperior minor vero undique punctatus, eius capitulum ſtaminibus forte breviſſimis circumdatum. Ex PLVMERII deſcriptione *p.* 42. & tab. 10. figura a. cum d. collata certiora cognoſci nequeunt: apparet fig. d. idem orbiculus maior eadem ſub facie, minor vero coronam refert ex aliquot ſtaminibus erectis quaſi compoſitam, ex quibus unum cum filamento ſatis longo & anthera globoſa ſeparatim, plurima vero in globum collecta fig. a. apparent. CATESBY t. 67. pingit capitulum rotundum quaſi fungoſum aurantii coloris & circa hoc corollam ſeu circulum largum luteum, quibus in deſcriptione addit, ſtamina eſſe lutea pappoſa. Solus LINNAEVS *Gen. Pl. ed. II. n.* 547. *Edit. V. n.* 613. *conf. H. Cliff. p.* 222. certiora adſtruxit, dum in ſtaminum definitione annotat *filamenta vix ulla, antheras numeroſiſſimas, germinis* (ſeu ovarii) *lateri inſidentes*, & in piſtilli definitione *germen receptaculo ſubrotundo inſidens, ſubrotundum, ſtylos nullos, ſtigmata obtuſa.* Vtinam EHRETVS in noſtra figura haec omnia clarius indicaſſet! Interea ex fig. *b.* hoc eluceſcit, ſtamina copioſiſſima circa ovarii capitulum collecta eſſe breviſſima atque ex antheris ſolummodo ſtructa, ipſum capitulum vero, multis poris inſtructum, eſſe triangulare, quod deinde forſan in rotundum mutatur, quemadmodum ex H. Malab. figuris citatis una ſuperiorem orbiculum pariter anguloſum repraeſentat: nonne LINNÆVS *Gen. Pl. Ed. I. n.* 446. hanc triangularem figuram iam obſervavit, dum ſtylos tres breves annotavit? Quae denique fructus ſtructuram declarant, ex auctorum deſcriptionibus & magis adhuc ex eorum figuris ſatis cognoſci poſſunt. Plura ſemina illum continere hinc inde diſperſa, omnes conſentiunt; haec ſingula utriculis incluſa eſſe, monet H. Malab. p. 21; eadem vero a centro ad circumfe-

ferentiam fructus locari, addit SLOANE p. 169. n. XXXII. eaque porro circum circa centrum copiosa reperiri, clarius adhuc docet fructus transverse dissectus PLVMERII figura f. H. Malab. t. 29. & 31. RVMPHII tab. 46. GE. MEISTERS *Oriental. Indianischer Kunst-und Lust-Gärtner p.* 85. quam dispositionem nostra quoque figura g. manifestat, ut ut secundum fructum adhuc imperfectum facta. Hos autem loculos non simplici sed multiplici serie seu ordine per totam fructus longitudinem occurrere, apparet ex fructu per longitudinem dissecto MARGGRAVII p. 93. H. Malab. t. 31. MERIANAE t. III. & XIV. nec non CATESBY t. 67. ubi ad minimum 5. vel 7. eiusmodi ordines distinguuntur. Ex his probe ponderatis satis nunc liquet, ad Anonae characterem generic**u**m pertinere calycis folia tria totidemque petala & fructum multilocularem, loculos scilicet plures circa centrum radiatim transverse collectos & aliquot seriebus per fructus longitudinem locatos. Num plures ANONAE seu Guanabani species hucusque recensitae, praeter illas decem, quas annotavimus, ut & Anona 4. (quam imperfecte depingit & describit CATESBY II. t. 64.) 6. 7. *Linn. Sp. pl. p.* 537. ad hoc genus pertineant, ex earum descriptione, quae, quantum scimus, nondum prostat, demum iudicari poterit. Hoc autem vel ex floris vel ex fructus descriptione aut delineatione sufficienti certo iam compertum est, quod huc neutiquam referri possit 1) ob unicum fructus officulum Anona fructu squamoso pyriformi monopyreno *Rai. II.* 1653. *n.* 8. seu Baly insulae fructus aspero cortice *Clus. exot. L. II. c.* 4. *p.* 25. *seq.* & *I. B. Hist. I. L. III. c.* 209. *p.* 401. cui per omnia similis est Guyanae fructus forma trochi, quemadmodum orbiculari Clus. & I. B. figurae ibid. additae, Guyanae fructus squamosus rotundus BAS. BESLERI *Fascic. rarior. &c. a.* 1616. *in* 4. *obl. editor.* postea a IO. HENR. LOCHNERO *commentario illustrator. & ab eius parente* MICH. FRID. LOCHNERO *a.* 1716. *in fol. edito tab. I. p.* 4. 5. ubi Anonae speciebus etiam adscribuntur. 2) ob semina tantum duo Araticu do mato *Marggr. p.* 94. *Pis. p.* 142. *Rai. II.* 1653. *n.* 9. 3) Anona foliis subtus ferrugineis, fructu rotundo maiori laevi purpureo, semine nigro partim rugoso partim glabro *Sloan. Cat. p.* 206. *Itin. II. p.* 170. *n. XXXIV. t.* 229. *Rai III. Dendr. p.* 78. *n.* 2. quae est Chrysophyllum *Linn. Sp. pl. p.* 192. Chrysophyllum foliis ovatis superne glabris parallele striatis subtus tomentosis nitidis *Eiusd. H. Cliff. p.* 491. 4) ob calycem hexophyllum, corollam monopetalam rotundam campaniformem &c. Anona foliis laurinis glabris viridi fuscis, fructu minori rotundo viridi flavo scabro, seminibus fuscis splendentibus fissura alba notatis *Sloan. Cat. p.* 206. *Itin. II. p.* 171. *n. XXXV. t.* 230. *Rai. III. Dendr. p.* 78. *n.* 3. 5) ob fructificationis partes similes Anona maxima foliis laurinis glabris viridi fuscis, fructu minimo rotundo viridi flavo, seminibus fuscis splendentibus fissura alba notatis *Sloan. Cat. p.* 206. *Itin. II. p.* 172. *n. XXXVI. t.* 169. *f.* 2. *Rai. III. Dendr. p.* 79. *n.* 4. 6) ob petala sex crassa cum stylo in medio nigricante, calycem hexaphyllum & fructum mespilum referentem Anona Curassavica fructu dulci &c. *P. Bat. Pr.* 312. *Rai. III. Dendr. p.* 79. *n.* 6. 7) ob calycem tetraphyllum & corollam tetrapetalam, vel corollam tetrapetalam duplicis ordinis, stamina plurima longissima Anona trifolia, flore stamineo, fructu sphaerico ferrugineo scabro minore, Allii odore *Sloan. Cat. p.* 205. *Itin. II. p.* 169. *n. XXXIII. Rai. III. Dendr. p.* 79. *n.* 7. Tapia *Marggr. p.* 98. *Pis.* 140. *Plum. Pl. Am. p.* 22. *t.* 21. Nurvala *H. Mal. T. III. p.* 49. *t.* 42. Arbor Americana tryphylla &c. *Pluk. Phytogr. t. CXLVII. f.* 6. ubi figurae. 8) Anona foliis laurinis in summitate incisis, fructu compresso scabro fusco, in medio acumine longo *Catesb. II. p. & t.* 87. quae est Sloanea foliis oblongis integerrimis emarginatis *Linn. Sp. pl. p.* 512. *n.* 2. Praeterea excludenda etiam est. 9) Annona foliis lanceolatis fructibus trifidis *Linn. Sp. Pl. p.* 537. *n.* 5. quae est Anona fructu lutescente laevi, scrotum arietis referente *Catesb. II. p. & t.* 85. ut & *nostrae t. V.* ad cuius speciei ductum Anonae characterem composuisse videtur LINNÆVS, qui calycem triphyllum, petala sex, quorum tria, alterna, interiora minora, & fructum unilocularem definit. Ipse CATESBY *p.* 85. hanc, mancam tamen, suppeditat descriptionem, quoad huc pertinet, latine redditam: „ singuli flores „ consistunt ex sex petalis ex viridi albentibus, fructus crescunt „ copulati tres & quandoque quatuor, quorum pulpae medium „ continet duobus ordinibus duodecim semina, singula tenui „ membrana divisa „ . Si autem floris icon addita accurate examinatur, adpingitur quidem non solum calyx exiguus triphyllus, verum etiam ordo petalorum exterior nonnisi ex tribus maioribus constat, sed interior ordo minora eorum plura, non tamen sufficiente accuratione distincta, repraesentat. Si cum hac figura nostra tab. V. confertur, praeter calycem triphyllum in exteriori petalorum ordine iam quinque, in interiori vero ad minimum sex, inaequalis tamen magnitudinis distinguuntur. Fructus interiorem structuram & seminum ordinem nostra figura addita accuratius declarat, quae omnino duos seminum ordines, utrumque ex sex seminibus secundum longitudinem dispositis compositum repraesentat. Si denique ea conferantur, quae in explicatione huius tabulae ex EHRETI relatione *p.* 1. *b.* subiunximus, facile patet, floris delineationem debita accuratione repraesentari haud potuisse. Hoc tamen utraque icon satis declarare videtur, hanc stirpem floris fructusque charactere ab illo reliquarum Anonae specierum nimium differre, adeoque sub uno eodemque genere comprehendi haud posse. Et quum reliquis antiquum Anonae nomen merito conservatur, haec recens inventa species, alio nomine, forte Guanabani vel Cherimoliae iam usitato, distinguenda erit. Ceterum, cum huius & illius familia nil plane commune habere Guanabanum Iavensem BONTII & Africanum seu Guineensem PISONIS *Bontii hist. nat. & med. ind. oriental. p.* 155. & 156. (cuius posterioris figuram eandem nomine Guanabani folio ficulneo etiam sistit MVNTING. *Beschr. der Aardgevv. p.* 129. *Phytogr. t.* 24.) probatione haud indiget. Stirpem nostrae tabulae XLIX. ad genuinas Anonae species referendam esse, omni dubio caret; num vero iam descripta vel depicta, an nova sit, ex sequentibus patebit. Accepimus hanc effigiem hoc subscripto nomine: Guanabanus Perseae folio, flore intus albo exterius virescente, fructu nigricante, squamato, vulgo Cherimolia *Fevillée Iournal des observat. physiques, mathematiques & botaniques &c. a Paris* 1725. 4. *p.* 24. *t. XVII.* Reperimus etiam in MILLERI Dictionarii Vol. II. a. 1740. edito, tunc iam stirpem eodem nomine Londini coli, quare idem nomen tabulae nostrae adsculpendum curavimus; collata autem postea hac effigie cum illa Fevilliana, in foliorum figura & structura deprehendimus notabilem inter utramque differentiam, & quum fructus figura atque structura in nostra imagine defuit, petivimus ex celeberrimo MILLERO, ut in his quoque cognoscendis benevole nobis succurrat. Huic ergo humanissimo Viro referenda habemus, quae huius stirpis sufficientem cognitionem nunc declarant. Misit namque paullo post ad nos non solum novam Dictionarii sui a. 1752. editionem, verum etiam fructum ipsum & in additis litteris omne solvit dubium. Citato Dictionarii loco hanc invenimus huius stirpis descriptionem latine redditam. *Copiose colitur in Peru fructus gratia, & inde in Angliam translata sunt semina, ex quibus aliquot soboles progerminarunt. Excrescit in patrio solo in amplam arborem ramisque satis instructa est, qui ornantur foliis viridis splendentis coloris, illisque omnium reliquarum specierum multo amplioribus. Fructus figura cordi similis, exterior superficies squamosa & matura obscure purpurea est, carnem alit mollem & dulcem multis seminibus brunis mixtam. Hunc fructum Peruviani accensent delicatissimis. Haec stirps in Anglia iam produxit florem, nondum vero fructum.* Haec in litteris d. 25. Ian. 1753. datis illustravit sequentibus. *Haec Guanabani species, cuius imaginem paravit EHRETVS, ante paucos annos in nostris hortis florem excluſit sed nusquam in Europa fructum produxit, nec hunc maturum unquam vidi. Mitto tibi exiguum immaturum, cum paucis seminibus, differt autem haec species ab illa, cuius figura prostat in P. FEVILLEE libro. Nomen* Cherimoliae *Hispani referunt ad plurimas huius generis species.* Huius fructus accepti, ut ut imperfecti, & seminis maturi, imaginem manu GABLERI nostratis adpingendam curavimus *fig. e. f. g. h. i.* in magnitudine naturali. Vt autem huius & Fevillianeae stirpis differentia ii quoque, quibus huius auctoris liber ad manus non est, eo facilius cognoscere queant, iunximus simul tum fructum *fig. d.* tum folium a facie superiori & inferiori *fig. k.* ex eodem, magnitudine eadem, delineatum, & ex descriptione addimus, folia esse ovalis

ovalis figurae apice obtuſo (*emouſſée*) in utroque extremo, eaque mediae magnitudinis eſſe $5\frac{1}{2}$. pollicis longa & $3\frac{1}{2}$. lata, brevius petiolata 4. vel 5. linearum &c; floris deſcriptio cum noſtro in omnibus convenit, exceptis unguibus purpureis, quorum nulla fit mentio; fructus pariter cordiformis, (cuius maturi magnitudo non indicatur) dicitur ſquamoſus, ſed cum depreſſionibus, (*enfoncemens*), unde potius tuberculorum idea oritur, qualia noſtrae figurae *e.f.g.* manifeſtant; ſemina 8. lin. longa, 4. lata & 2. craſſa, coloris Coffeae ſimilis iterum a noſtris non differunt; maior ergo differentia inter utramque ſpeciem derivanda eſt ex figura, quam ex deſcriptione. Ceterum cum noſtræ ſtirpis foliorum magnitudine & figura conferri poſſunt Merian. t. III. Catesby. t. 64. Denique monemus, Anonam, nomen barbarum, a LINNÆO *H.Cliff.p.*222. mutatum eſſe in latinum Annonam alius & ampliſſimae ſignificationis: idem non obſervavit ille in generum definitione, iterum tamen in ſpeciebus & Vta generum editione.

TAB. L.

FICVS foliis ovatis integerrimis obtuſis, caule inferne radicato *Linn. H. Cliff.* 471. *n.* 4. *Amœn. Acad. I.* 29. *n.* 10. *Spec. plant.* 1059. *n.* 4. *van Roy. Prodr. Fl. Leyd.* 212. *n.* 4.

Ficus arboreſcens Bengalenſis folio ſubrotundo, fructu orbiculato, Pipal Bengalenſibus *Cat. H. Beaumont.* 17. *Io. Commel. H. Amſt. I.* 119. *t.* 62. *Raii Hiſt. III. Dendrol.* 15. *n.* 2. *Boerh. Ind. alt. H. Lugd.Bat.P.II.*258. *n.*8. The roundiſh-leaved Bengal Fig whit orbicular fruit *Hill Hiſtory of Plants* 134. *n.* 4. *ſine deſcriptione & icone.*

Ficus Americana latiori folio venoſo ex Curacao, an Ficus Barbadenſium Ligonis 69. Tſjakela (forte) H. Malab. III. 87. t. 64. *Plukenet Phytogr. t. CLXXVIII. f.* 1. Peralu (forte) H. Malab. I. 49. f. 28. *Eiusd. Almageſt.* 144. *Miller Gard. Dict. edit. III. n.* 17. *edit. VI. n.* 22. ubi etiam vocatur the broad leav'd American Fig. & in deſcriptione the Banyan-tree ut & the bearded Fig-tree.

Ficus Malabarienſis folio craſſiuſculo maiori, fructu gemino intenſe rubente *Syen in notis ad H. Malab. I.* 50. *Caſp. Commel. Flor. Malab.* 28. b.

Per-Alu *Reed H. Malab. I.* 49. *t.* 28.

Expoſ. a.a. fructus a facie laterali; *b.* anteriori; *c.* umbilicus; *d.* facies ima cum eminentia *e.* pediculi vices gerente & tribus foliolis cincta; *f.* compages interna; *g.* ſemen cum petiolo ſuo.

Nota. Eodem nomine, quo ſtirpem hanc inſignivit IO. COMMELINVS, accepimus a. 1745. a D. EHRETO hanc effigiem, quae Commelinianae quoad folia ſecundum delineationem, & quoad fructum (cuius delineatio ibi deficit) ſecundum deſcriptionem, exacte reſpondet. Synonyma ex LINNÆO locis cit. collegimus, quorum tamen tria ultima ipſe dubius adiecit. In PLVKENETI figura folia apicem verſus omnino ſunt paullo anguſtiora, atque illis, quae Tſjakela habet, ſimiliora; ſed quum haec ſtirps fructus proferat perexiguos & plures coagmentatos, eadem cum noſtra eſſe nequit; fructus autem a PLVKENETO nec deſcribuntur, nec delineantur. Per-Alu e contrario a noſtra ſtirpe non differt, niſi foliorum coſta non ſimplici, ſed triplici, quae nota procul dubio variat, quemadmodum id quoque oſtendit figura Commeliniana; fructus vero notae, diſpoſitio ſcilicet plerumque gemina raro ſimplex, magnitudo, figura globoſa, color intenſe rubeſcens ſeu incarnatus ſaturus, & foliola baſi ſubſtrata, noſtræ imagini optime reſpondent. RVMPHIVS *Herbar. Amboinenſ. P. III.* 145. *ſeqq.* deſcribit & *t. XCIII.* delineat Caprificum Amboinenſem, quam BVRMANNVS in nota p. 148. declarat pro eadem a LINNÆO definita & ſupra indicata ficus ſpecie; ſed quum illius non ſolum folia in mucronem abeant multo acutiorem, verum etiam fructus copioſi (in figura ab una facie 17. numerari poſſunt) petiolo communi, racemi inſtar, adhæreant; inſignis haec differentia ſpecifica primo ſtatim intuitu manifeſta eſt. Ceterum auctores nondum conſentiunt, an, & quousque, haec ſtirps differat ab illa, quam ſuperiori ſæculo Ficus indicae nomine & deſcripſerunt & delinearunt botanici, quos collegit LINNÆVS *Amœnit. Ac. I. p.* 27. *n.* 6. & ſecundum hos ſequentia huic ſtirpi tribuit ſynonyma: Ficus indica *I. B. I. p.* 145. *Aldr. dendr.* 434. *Ionſt. dendr.*48. *Cluſ. exot. I. p.* 1. *fig. p.* 2. *Dalech. hiſt. Lugd. II.* 1853. Ficus indica Theophraſti *Dal. pharm.* 312. *Comm. Mal.* 28. *Tabern. hiſt.* 1370. Ficus indica arcuata *Park. theatr.* 1499. Ficus indica, Arbor radicum Indiae *Chabr. ſciagr.* 9. Ficus Indica, foliis mali cotoneae ſimilibus, fructu ficubus ſimili in Goa *C. B. pin. p.* 457. *n. VIII. Tournef. inſt.* 663. The arched Indian Fig-tree, Arbor ex Goa ſeu indica *Ger. hiſt.* 1331. *emac.* 1514. Katou-Alou *Rheed. Mal. III. p.* 73. *t.* 57. *Rai hiſt.* 1437. quibus addenda Ficus indica *Bod. a Stapel. comment. in Theophr. Eref. hiſt. plant. p.* 350. *b.* Ficus Indica folio mali Cotoneae, fructu ficubus ſimili *Zanon. rar. ſtirp. hiſt. p.* 111. Fico dell' Indie Orientali *Id. ibid. t.* 77. Indiaanſche Vygeboom *Nieuhof P. alt. p.* 141. *fig. ibid.* Ficus Malabarenſis, folio cuſpidato, fructu rotundo parvo gemino D. Syen *Pluk. Almag. p.* 144. *n.* 8. *Mill. Gard. dict.* ubi etiam the Malabar. Fig-or Indian God-tree (i. e. arbor deorum indica) appellatur. CLVSIVS *l. c.* eam primus deſcripſit & delineavit, verum non ex propria obſervatione, ſed ex relatione, quam a FABRICIO MORDENTE, Salernitano, accepit, ad quam etiam ipſa figura tantum efficta eſt. Secundum hanc deſcriptionem arbor evadit altiſſima, & truncum adquirit craſſiſſimum, quem trium virorum ulnae vix apprehendere poſſent; ramos circumquaque expandit, fibras quasdam tenues deorſum mittentes, quae, ubi terram attingunt, firmantur & veluti in novos arborum caudices tranſeunt, pari modo & quaſi in infinitum ſe ita propagantes, ut unica arbor interdum mille paſſus in ambitu occupet denſiſſimamque ſilvam efficiat, ſub qua incolae, reſciſſis nonnullis truncis tenuioribus, concamerationes & umbracula facere ſolent, quorum umbram 800. aut 1000. viros texiſſe, auctor relationis ipſe vidit, immo terna etiam hominum millia ſub tali arbore latere poſſe adfirmavit. Folia, ſuperne viridia inferne candicantia & lanugine pubeſcentia, comparantur illis mali Cotoneae (quibus etiam ſubrotundis & ad apicem mucronatis ſecundum delineationem reſpondet figura & magnitudo) & fructus dicuntur extremi pollicis articuli magnitudine, colore foris & intus ſanguineo, granisque pleni, uti vulgares ficus, dulces quidem & edules, minus tamen grati ſaporis, qui naſcuntur in novellis ramis, qua parte illis adhærent folia, quemadmodum vulgares ficus. CLVSIVS porro ibidem ſollicite inquiſivit, num haec ſtirps ſit illa ipſa, cuius Q. CVRTIVS, PLINIVS, STRABO & THEOPHRASTVS mentionem fecerunt, de quo non dubitat; ſed PLINIVS annotat, foliorum latitudinem peltae Macedonicae effigiem habere & fructum rarum eſſe, nec fabae magnitudinem excedere; STRABO itemque affirmat, folia eſſe clypeo non minora, & ſecundum THEOPHRASTVM folium pelta non minus eſt, fructus vero valde parvus magnitudine ciceris, ficui ſimilis, ceterum rarus; CVRTIVS vero nullum alium characterem indicat, quam caudicum multiplicationem, id quod etiam de FERD. LOPEZ Magiu & PHIL. PIGAFETA Enzanda a CLVSIO pariter citatis notandum eſt; ex quibus facile cognoſci poteſt, in conciliatione horum auctorum magna adhuc ſupereſſe dubia, licet vegetandi modo omnino inter ſe conveniant. Quae IO. BAVHINVS profert, iis a CLVSIO prolatis reſpondent, cum aliqua tamen eius cenſura. Hic figuram ex alio quidem auctore deſumſit, ſed a Cluſiana parum vel nihil differentem. IO. BODDÆVS a STAPEL primo occupatus fuit in THEOPHRASTI, PLINII, STRABONIS &c. deſcriptione rite interpretanda, deinde diſputavit contra eos, qui aſſerunt, hanc ficum fuiſſe arborem illam primis noſtris parentibus vetitam, denique CLVSII deſcriptionem & iconem, ceterum vero nil notatu dignum addit. IONSTON, DALECHAMPIVS, TABERNÆMONTANVS, GERARDVS, PARKINSON & CHABRÆUS tum quoad figuram, tum quoad deſcriptionem, CLVSIVM tantum ſequuti ſunt, ſi excipias ultimum, qui ex THEOPHRASTO fructus magnitudinem cum cicere comparat, & folia ampliſſima clypeo non minora ſecundum STRABONEM deſcribit. ALDROVANDVS quidem THEOPHRASTI deſcriptionem adfert, ſed Opuntiae ſeu Tunae (quae pariter Ficus indica vulgo appellatur) ſpeciei maioris iconem addit, monens, huic deſcriptionem THEOPHRASTI non convenire. A DALE *l. c. edit. Lugd. Bat.* 1739. 4. *n.* 3. vocatur Ficus indica Offic. cui omnia fere ſynonyma, quae LINNÆVS indicavit, tribuit. C. COMMELINO *Flor. Malab. p. cit.* eſt Ficus indica Cluſii,

 cui,

cui, præter Ficum Indicam *Io. & Casp. Bauh.* ut & Katou Alou *H. Mal.* synonymon facit Ficum ind. Nieuh. & Arborem de Raiz Linschoti (de quibus mox plura) & dubius addit, an sit Ficus arbor americana arbuti foliis non serrata, fructu pisi magnitudine, funiculis e ramis ad terram demissis prolifera *Pluk. Phytogr. t.* 178. *n.* 4. sed non solum huius figura monstrat folia a basi ad mucronem acutum usque æqualis ferme expansionis & figuris hactenus citatis angustiora, verum etiam descriptio in *Almagest. p.* 144. *n.* 6. addit, ea omnino esse glabra, inferne quidem albicantia, non lanuginosa; ob fructum porro piso haud maiorem potius cum Tsjakela (de qua supra iam egimus, quæque est Ficus Malabarica semel anno fructifera, fructu minimo, Tsjakela dicta *Rai. H. II.* 1435. *n.* 4. *C. Commel. Fl. Mal.* 29. *a. Linn. Amœn. I.* 30. *n.* 13.) quam cum Katou-Alou (de qua mox plura) coniungendam esse statuit. Nomen a CASP. BAVHINO propositum procul dubio ad CLVSII (quem ut & reliquos auctores ab hoc allegatos citat) descriptionem formatum est, & TOVRNEFORTIVS alia non addit, quam quod PLVMERIVS ipsi adfirmaverit, eam ficus esse speciem veram. Katou-Alou & Per-Alou *H. Mal.* secundum figuram parum ab invicem differunt: in utraque namque fructus plerumque bini sine petiolis coniugati crescunt, & figura magnitudineque sibi & omnino articulo pollicis extremo pares sunt, foliola tamen tria fructui huius substrata in illa deficiunt, & folia prioris ovata in mucronem productiorem & acutiorem abeunt, quæ secundum descriptionem superne glabra, atro-viridia, splendentia, inferne albicantia & lanuginosa &c. sunt, quum in posteriori utraque superficies tomentosa lanugine, aversa tamen densiori, obducta sit. RAIVS in Katou-Alou descriptione van REEDE sequutus est, in synonymis colligendis a LINNÆO non differt. Ficus Indica tiliæ folio, subtus albo & villoso polyrhizos seu filamentis e summis ramis ad terram missis radicosa, a Plinio Theophrasto & Strabone descripta *Pluck. Phytogr. t.* 178. *f.* 3. *Almag. p.* 144. *n.* 5. huc etiam referenda esset (reliqua enim synonyma CLVSII & C. B. illi tribuit) nisi *Mantiss. p.* 74. se ipsum correxerit & figuram citatam ad malvacearum plantarum classem amandaverit, quibus tamen non obstantibus, eandem cum Ficu foliis cordatis subrotundis integerrimis conferendam esse, indicat LINNÆVS *Spec. p.* 1059. *n.* 2. Quæ apud ZANONVM in altera eius posthuma editione (quam CAIET. MONTIVS digessit, latine reddidit supplevitque) reperitur Ficus Indica, eius & complurium aliarum exoticarum stirpium descriptionem & iconem cum ZANONO communicavit MATTHÆVS a S. IOSEPHO, ille ipse, quem egregie laudat van REEDE *in præfatione ad H. Mal. T. III.* Cuius descriptio brevis hæc est: „ Bare *seu* Kivil *arbor procera, maxima colitur veneratione* „ *a gentilibus idolorum cultoribus. Hæc in ramis radices ad instar* „ *comæ fert utrinque, quæ, ubi terram tetigere, eam penetrant, &* „ *ex pluribus radicibus veluti in unam collectis plantam novo caudice* „ *ditant. Rami quandoque maiores sunt in medio, quam in extremi-* „ *tate aut initio. Vbi folia erumpunt, fructus etiam exortum trahunt* „ Malul *dicti: figura sunt similes malis minoribus, folia vero satis* „ *pinguiora sunt, quam in Lauro regia, & in parte inferiori lanugine* „ *vestiuntur, quod etiam fructibus accidit: interior tamen pars ficui* „ *persimilis, colorisque flavi, sectoque folio lac emanat.* „ cui descriptioni etiam respondet figura, ubi vero 2. 4. & 5. fructus coagmentati conspiciuntur. Commentator dubius quidem est, an sit eadem CLVSII & THEOPHRASTI ficus; addit tamen, Katou-Alou *Malab.* satis congruere Clusianæ descriptioni & eandem videri, quam laudatus MATTHÆVS descripsit. NIEVHOF *Gezantschap aan den Grooten Tartarischen Cham &c.* descriptionem suam a CLVSIO mutuavit, neque figura, quæ quidem alia est, quam hactenus citatæ, ad naturam, sed ad descriptionem facta videtur, nec debita accuratione, quam negligentiam plerumque peregrinatores botanica scientia haud instructi committere solent. Ne autem in his compilandis nimium prolixi simus, hæc sufficiant, quæ satis iam docent, plures ficus species distinctas auctores confudisse ob solam illam per ramorum plurimos stolones mirificam propagationem multiplicationemque, quum tamen hæc qualitas permultis communis sit, atque hinc neutiquam sufficiat ad designandas plures varietates unius speciei, quam tamen sententiam fovere quoque videtur LINNÆVS *Spec. Pl. p.* 1060. *n.* 5. *α. β.* Probat autem hunc communem crescendi modum præprimis van REEDE variis exemplis, nempe *H. Malab. T. I. p.* 45. *t.* 26. de Itty-Alu, *p.* 49. *t.* 28. de Per-Alu (quæ est Ficus nostra Bengalensis) & *T. III. p.* 69. *t.* 55. de Itti-Arealou, *p.* 71. *t.* 56. de Tsjerou-Meer-Alou, *p.* 73. *t.* 57. de Katou-Alou (quæ a IO. COMMELINO in nota addita pro ficu indica Clusii declaratur, & a LINNÆO *Spec. p.* 1060. *n.* 5. Ficus foliis lanceolatis petiolatis, pedunculis aggregatis, ramis radicantibus appellatur) & *p.* 75. *t.* 58. de Atti-Meer-Alou. Addimus, laudatum COMMELINVM in notis ad Itti-Arealou monuisse, reliquas quoque Alou species, nempe T. I. p. 43. t. 25. Atty-Alu (quæ est Ficus foliis ovatis acutis integerrimis, caule arboreo, fructu racemoso *Linn. Amœn. Ac. I.* 39. *n.* 17.) & p. 47. t. 27. Arealou (quam pagani deo VISTVM sacratam adorant, Christiani vero arborem diaboli appellant, quæque est Ficus foliis cordatis integerrimis acuminatis *Linn. H. Cliff.* 471. *Fl. Zeyl.* 177. ubi etiam eadem dicitur Boghas, Budughaha, Budughas & Arbor Zeylanica religiosa, foliis perpetuo mobilibus *Herm. Mus. Zeyl.* 42. *Burm. Thes. Zeyl.* 29.) eodem modo e ramis undique diffusis tenuia quædam filamenta deorsum mittere & veluti in novos arborum caudices transire, id vero SYEN in commentario ad hunc tomum non notasse. Eorundem funiculorum ex ramis progeniem testatur etiam PLVCKENET de sua Ficu Arbuti folio (quæ supra iam citata est) & SLOANE de Ficu Indica maxima, cortice nigricante, folio oblongo funiculis e summis ramis demissis & radices agentibus se propagante, fructu caprifico *Itiner. II. p.* 138. *n.* 1. *Rai. III. Dendr. p.* 15. *n.* 3. *Linn. Amœn. I. p.* 29. *n.* 8. & de Ficu Indica maxima folio oblongo, funiculis e summis ramis demissis, radices agentibus, se propagante, fructu minori sphærico sanguineo *Sloane l. c. p.* 140. *n.* 3. *Rai. l. c. p.* 16. *n.* 5. *Linn. l. c. p.* 28. *n.* 7. quæ est Ficus foliis lanceolatis integerrimis *Linn. Spec. p.* 1060. *n.* 5. *β.* & secundum eundem Ficus americana arbuti foliis &c. *Pluck.* iamiam citata, Ficus citri folio fructu parvo purpureo *Catesb. Carolin. App. p.* & *t.* 18. Tsiela *Rheed. H. Mal. III. p.* 85. *t.* 63; sed in figura Catesbyana non solum folia ad basin valde angusta &, ratione longitudinis, supra medium præcipue multo latiora, verum etiam fructus tres quatuorve coniuncti, petiolis satis longis instructi, maiores & perfecte piriformes sunt, quum Tsiela exiguos, pisiformes, sessiles & solitarios, raro binos, per ramos dispersos monstret. Neque etiam de hac utraque legitur, quod ex ramis filamenta demittant; quum vero CATESBY suam speciem & illam Theophrasti, Strabonis &c. pro una habeat, hoc facere haud potuisset, nisi ad notissimum illum multiplicationis modum peculiarem respexisset. Ceterum, quamvis van REEDE non de singulis supra indicatis speciebus, sed de sola Itti-Arealou annotaverit, quod fibræ ex ramis demissæ novos caudices & hinc unica arbor vastam silvam forment, & de Tsjerou-Meer-Alou, itemque de Katou-Alou, tantum notet, quod eodem modo, ac Itti-Areolou crescant, de reliquis vero copiosas tantum fibras ex ramis descendentes describat: vix tamen ullum superest dubium, quin hæc demum in novos caudices pariter transformentur: FABRICIVS certe apud CLVSIVM affirmat (quod supra indicavimus) caudices hos omnes multiplicatos originem suam trahere ex fibris eiusmodi tenuibus ramorum ad terram descendentibus; has vero fibras non prius, quam postquam arbor 40. vel 50. annos vixit, prodire, monuit idem van REEDE occasione Itti-Areolou: hinc facile contingere potest, ut unum observatorum effugiant, quæ alter annotavit, vel aliis observanda reliquit. De Per-Alu, seu Ficu nostra Bengalensi, MILLERVS idem refert, quod CLVSIVS de sua specie & van REEDE de Itti-Arealou, de Tsjerou-Meer-Alou & de Katou-Alou annotavit. A LINNÆO *Amœn. p.* 28. *n.* 6. producitur Ficus Malabarica fructu rotundo rubro, quam sub hoc nomine delineat HERMANNVS *M. S. Zeylanico* & ita describit: „ *est* „ *arbor prægrandis, lacte plena, ramosa, ligno spongioso, cortice vi-* „ *renti. Folia rotunda, crassa, viridia, glabra, aversa parte ex* „ *viridi*

„ *viridi cinerascentia, ad tactum mollia s. lanuginosa, nervosa, petio-*
„ *lis uncialibus. Fructus immediate ex ramis, ut in vulgari specie,*
„ *rotundi, cerasi maioris magnitudine, rubicundi, summo circumferrati*
„ *umbilicati, seminibus parvis referti. Truncus arboris spatio bra-*
„ *chiorum duorum hominum vix potest includi, videturque ex innumeris*
„ *radicibus satis crassis conflatus, demittit etiam ex suis ramis alias*
„ *radices s. ramos sine foliis & intra crassos recta terræ fundum peten-*
„ *tes. Hæc arbor latissime ramos suos dispergit, ut sub eius umbra*
„ *plura hominum millia possint tegi. Vidi sæpe sub hac arbore gentiles*
„ *macella celebrare, ibique omnium generum fructus vendere & eme-*
„ *re.* „ His LINNÆVS addit: *sed figura est perfecte speciei* 10. (quæ est Ficus Bengalensis) *an itaque hæ binæ distinctæ?* Nos ex his id tantum colligimus: si eadem est, confirmat hæc descriptio illam MILLERI, quatenus hic Bengalensi ficui eandem truncorum multiplicationem tribuit; sin alia, novum exemplum præbet huius vegetationis modi pluribus speciebus communis. HVGHES tandem *natural history of Barbados p.* 174. the bearded Fig-tree (i. e. ficus barbata a plurimis filis ex ramis descendentibus ita dicta) ficum Bengalensem describens, ab initio statim monet, varios auctores in descriptione huius stirpis errasse. Secundum suam descriptionem truncus veteranus ex multis sibi invicem coniunctis potius compositus, quam simplex & individuus est, rami inæquali distantia emittunt plura filamenta chordis panduræ maioris substantia, forma & crassitudine paria, quæ perpendiculari situ ad terram descendunt, &, quando aliquot pedum longitudinem adepta sunt, pars ramo proxima in solidum lignum abit, dum interea inferior vaga, funiculorum seu filamentorum laxe contortorum instar, deorsum pendet &, quando terram attingit, radices agit solidumque in lignum pariter mutatur, brevique tempore in molem crescit insignem suisque cum sociis ramo, ex quo provenit, magnum incrementum affert, unde hic amplior redditur & alios ulterius tum lateraliter progredientes tum sursum erectos ramos excludit, qui, præsertim laterales, suis filamentis descendentibus novos truncos formant, & sic porro ordine successivo. Quando filamenta hæc ex ramis prope truncum proveniunt & in parva distantia ab eo radices agunt, aliqua eorum in suo incremento vegeto se coniungunt cum illo nunc ex parte, nunc ex toto, & sic enormem truncum formant irregularem. Folia dicuntur polita & virore splendentia; quinque circiter pollices longa & duos lata, margine æquali & apice valde acuto. Fructui adscribitur brevis petiolus & magnitudo parvorum cerasorum. Vtinam auctor figuram addidisset accuratam, quæ sæpius in hoc opere, ubi præ multis aliis insertis maxime utiles essent, desiderantur. Nihilominus ex hac descriptione fusiori satis patet, & fructus & folia cum illis ficus Bengalensis non convenire, & quum præterea huius speciei truncus primarius ex collectione plurium coagmentatus describitur, propius hæc species convenit cum illa, quam LINSCHOTVS *Itinerario p.* 82. & *Orientalisch Indien P. IV. c. IV. p.* 34. nomine Arvore de rays i. e. Wortelboom, describit & delineat, cuius etiam fructus, qui in descriptione olivis similes dicuntur, horumque petioli & folia Hughesianæ descriptioni, quantum ex figura colligi potest, satis conformia sunt: an Atti-Meer-Alou *van Reede H. Malab. III. p.* 75. *t.* 58? quæ in descriptione pariter Arvore de rajis ladranô a Lusitanis, & Woortel-vygh a Belgis, a RAIO vero *Hist. II.* 1438. Ficus Indica fibris ex ipso trunco exeuntibus eique accrescentibus augescens, appellatur, atque etiam foliorum & fructuum horumque petiolorum figura & magnitudine, secundum iconem, & trunci compositione secundum descriptionem his satis respondet. Quoniam vero HERMANNVS in sua descriptione supra ex LINNÆO allata de caudicis compositione eadem refert, quum tamen illa stirps, foliorum & fructuum immediate ex ramis provenientium ratione longe aliam speciem declaret: probabile videtur, caudicis structuram tum regularem ex simplici trunco enatam, tum irregularem ex pluribus truncis compositam, causis accidentalibus tantum adscribendam esse propterea pro nota specifica haberi haud posse. Aliam præterea variationem indicat IO. COMMELINVS in nota ad Handir-Alou *H. Malab. III. p.* 77. *t.* 59. dum affirmat, hanc speciem filamenta non e ramis, sed e caudice, deorsum mittere, quæ ipsi caudici adhærentia crassissimum eum reddunt; num vero hæc fibrarum origo in aliis quoque speciebus occurrat, annotatum haud legimus. Ex his fusius hactenus expositis satis, opinamur, patet, quam plurima adhuc supereſſe obscura pro speciebus his perfecte distinguendis dilucidanda, atque hoc tantum a plurimis extra dubium positum esse, multas, si non omnes, species recensitas peculiarem hunc per fibras seu funiculos se multiplicandi modum inter se habere communem. Neque tamen illum huic tantum stirpium generi proprium esse, docent alia exempla: Mangle enim arboris vegetandi modus, quem ex OVIEDO describit CLVSIVS *loco sæpius citato*, idem est, quæ tamen siliquas fert & proinde iam a IO. BAVHINO *l. c. p.* 147. *a.* recte ab hoc genere separata & *ibid. L. XII. p.* 415. ad Cassiæ genus relata est. Uviferam arborem Americanam per funiculos a summis ramis ad terram usque demissis proliferam *Pluk. Phytogr. t.* 237. *f.* 5. *Almag. p.* 394. ad aliud quam ficus genus referendam esse, ex figura quidem suspicari liceret, & ex synonymis citatis omnino probari posset; quum vero hæc synonyma dubitanter tantum addita sint, atque eorum auctores hunc vegetandi modum taceant, eius genus incertum adhuc manet, uti etiam illius arboris, cuius IO. de LAET *Descr. Ind. Occid. L. XVII. p.* 664. mentionem facit, eiusque folii fructusque iconem addit, & in descriptione refert, e ramis eius pariter descendere certa filamenta, quæ, postquam terram attigerint, radices agunt & ramos veluti sustentant. Sed, ne ulterior disquisitio tædium pariat, hic filum abrumpimus.

TAB. LI.

BROMELIA foliis aculeatis, racemo laxo terminatrici *Linn. H. Cliff. p.* 129. *Roy.* 25.

Bromelia foliis ciliato-spinosis mucronatis, racemo terminali *Linn. Sp. Pl. p.* 285. *n.* 2.

Pinguin *Dill. H. Elth. p.* 320. *t. CCXL. fig.* 311.

Karatas foliis altissimis, angustissimis & aculeatis Plum. Nov. Gen. *Mill. Gard. Dict. Vol. II. a.* 1740. *& noviss. edit.* 1752. *Houst. MSt.*

Karatas foliis altissimis, angustioribus & aculeatis *Rand. H. Chelſ. p.* 106. *n.* 387.

Expos. a. flos integer cum foliolo *b.* ovarium *c.* involvente; *d.* calyx trifolius non deciduus; *e.* corolla tripetala tubulatam mentiens; *f.* stamina tubi longitudine, a corolla & *g.* a calyce separata; *h.* calycis segmenta seu folia tria ab ovarii vertice abscissa & a reliquis partibus separata; *i.* petalum ad ovarii verticem seu receptaculum abscissum; *k.* stamen seu filamentum subulatum & anthera erecta sagittata filamento longior; *l.* stylus brevis cum capitulo maiori trigono seu tribus stigmatibus; *m.* capitulum transverse sectum; *n.* fructus maturus siccus; *o.* idem ex maceratione tumidior; *p.* eius transverse secti amplitudo, ubi corticis crassitudo & pulpa trifariam divisa; *q.* semina matura, *r.* in magnitudine aucta.

Nota. Auctores citatos diversis his nominibus indicare unam eandemque plantam, dubio caret, quia alia species Londini hucusque non culta est, & plusquam probabile videtur, LINNÆVM suum characterem ad DILLENII ductum formasse. Nomine a LINNÆO *H. Cliff.* huic stirpi adscripto accepimus nostram imaginem. Dilleniana imago differt a nostra scapo in ramos iam explicato, itemque floribus clausis seu minus explicatis, staminibus paullo minoribus & antheris albidis. Ille porro annotat, folia esse 2. 3. pedes & amplius longa, 1. 1½. vel 2. uncias lata, (MILLERVS folia 3. vel 4. pedes longa deorsum flexa definit) & summa coloris obscure rubri; petala non cadere, stamina petalis inferius connasci. Fructum (qui manu BAVRENFEINDII nostratis adpictus est & non ad hanc, sed aliam speciem pertinet) celeberrimus COLLINSONVS benevole nobiscum communicavit hac informatione: *aliam Pinguin producere fructum conicum multo minorem & breviorem* (qualem DILLENII figura repræsentat) *aliam maiorem & longiorem*, cuius patriam vero non addidit. Apud PLVMERIVM Karatas & Bromelia duo distincta constituunt genera. Priori *p.* 10. adscribitur flos monopetalus infundibiliformis & trifidus, qualis etiam ab illo *tab.* 33. *fig. a. a.* pingitur, calyci insidens, qui *fig. b.* methodo Tournefortiana ovarium repræsentat cum vertice vix diviso, in fructu vero maturo *fig. c.* satis conspicuus & ad basin usque ter sectus & persistens delineatur; fructus dicitur conicus carnosus in tria veluti loculamenta divisus & talis etiam *fig. c. e.* pingitur, ut & *fig. f.* semen oblongum. Additur denique, fructum contectum esse membrana in quatuor partes sessili (forte fissili) qualem *fig. d.* sed simul fructus figuram nullo modo cum *fig. c. e.* comparandam repræsentat. Staminum & styli conformatio in descriptione & figuris omittitur. Posteriori, seu Bromeliæ, *p.* 46. tribuitur flos rosaceus ex tribus

petalis conſtans in orbem poſitis, quorum totidem, ſed erecta, *tab. 8. fig. a. a.* & unicum *fig. b.* ſeparatum ſiſtit, calyci inſidens, qui *fig. a. a.* repræſentat ovarium tribus coronatum foliolis, quæ ſecundum *fig. d.* totum fructus ambitum quaſi inveſtiunt; fructum deſcribit ovatum, in tria loculamenta diviſum, cui vero deſcriptioni *fig. e. e.* minime reſpondet, ſemina potius longiuſcula & fere cylindracea, uti deſcribuntur & *fig. e. e. f.* delineantur, circa axin denſiſſime in orbem collecta & neque per longitudinem neque per latitudinem fructus ullo modo diviſa repræſentat; ſtylum ſimplicem erectum, corollæ ferme longitudinis, cum ſtigmate globoſo delineat *fig. c.* Ex his facile patet, quam difficulter huius utriusque generis characteres & inter ſe & cum noſtra ſtirpe comparari poſſunt, niſi Bromeliæ fructus & Karatæ floris ſtructura vitioſe delineata ſit. Eadem procul dubio moverunt MILLERVM atque HOVSTONVM (ſecundum huius autographum, quod a MILLERO accepit, & transſcriptum ad nos miſit EHRETVS) ut eam opinionem alant, PLVMERIVM Caraguatæ ſuæ florem eadem tabula, qua Karatas depingitur, delineatum, huius flori ſubſtituiſſe & vice verſa; ſed poſito hoc, hic Caraguatæ flos, ob ovarium intra corollam & calycem reconditum, & ſtylum longiſſimis ſtaminibus adhuc longiorem, minus adhuc ſimilis eſt illi noſtræ ſtirpis. Ceterum, quod ex eodem HOVSTONI MSto reſcivimus, huic auctori ſynonyma ſunt Karatas foliis altiſſimis anguſtiſſimis & aculeatis *Plum.* Caraguata acango *Piſ.* & Aloe americana fructu dulci & acido pruno ſimili *Moriſ.* DILLENIVS indefeſſus ſtirpium indagator, ſuam plantam cum tribus Bromeliæ ſpeciebus a PLVMERIO delineatis conferens, in nulla earum ſimilitudinem invenit, quam in illa, quæ ab ipſo vocatur Bromelia pyramidata, aculeis nigris; ſed ſimul monet, quibus notis inſignibus e contrario differat: neque etiam in Karatæ eiusdem (cuius figura, quod ſimul notat, inter eius delineationes deſideratur) foliorum definitione & floris fructusque charactere eandem plane conformationem invenire potuit, tandemque addit, hoc tantum ſibi conſtare, ſuam plantam & Ananam Americanam ſylveſtrem alteram minorem, Barbados & inſulæ Iamaicæ noſtratibus colonis Pinguin dictam *Pluk. Almag. p.* 29. *Phytogr. t. CCLVIII. f.* 4. eſſe eandem, hanc vero ad iuniorem plantam minore quantitate & ſine floribus factam eſſe, nec ſe meminiſſe, eius aliam vel cum vel ſine floribus iconem proſtare. Id nobis etiam contigit auctores varios evolventibus. 1.) Mexocotl ſeu Maguei Prunorum *Hernand. L. VIII. c. XV. p.* 275, ſecundum deſcriptionem & iconem inter ſe collatas, habet ſuper caule tereti ſeu rotundo, brevi & craſſo folia Ananaſæ ſimilia fulva ac veluti marcida, non admodum longa, ſatis tamen lata & repanda; eorum medium occupant numeroſi fructus in amplum corymbum, quaſi hemiſphæricum, denſiſſime collecti, ſinguli prunis vel glandibus ſimiles, oblongi utroque extremo anguſto & ſuperiori bifido vel trifido, ex candido palleſcentes, dulces & acidi, edules & ſucco pleni grati ſaporis; ſemina ſunt principio candida, poſtea nigra obrotunda & duriuscula; radix fibrata craſſaque eſt. Eadem deſcriptio proſtat apud RAIVM *Hiſt. T. II. p.* 1200. *n.* 3. & NIEREMBERGIVM *Hiſt. naturæ p.* 301. *c. XV.* ſed figura omiſſa eſt: eandem deſcriptionem repetit quoque de LAET ex Fr. XIMENE in annotationibus ad MARGGRAVII *Hiſt. Braſ. p.* 88. ut & MORISO *H. O. II. p.* 418. *n.* 8. *& S. IV. t.* 22. *f.* 7. ubi nil novum, præter nomen; male autem ab ipſo nominatur Aloe America fructu dulci & acido multiplici prunis ſimili. 2.) Karouata de LAET *nov. orb. ſeu deſcr. Ind. occid. L. XVI. c. XII. p.* 614. folia habet ulnam fere longa & duos pollices transverſos lata, Ananaſæ craſſiora, & ſcapum e medio erumpentem, cui circiter 2. palmas ſupra ſolum confertim adnaſcuntur 50. & interdum longe plures fructus digitalis longitudinis, pyramidis triangularis in modum, intus atque extus flaveſcentes, quorum ſatis recentium ex inſula Tabago acceptorum unum integrum, alterum per longitudinis medium (ſed non transverſe) ſectum, pingendum curavit, (qui deſcriptioni reſpondet) cuius interior ſubſtantia dicitur ſpongioſa pluribus ſeminibus minutis plena, optimi ſaporis & palato grati. Floris & fructus interioris conformationis nulla fit mentio. 3.) Caraguata *eiusdem L. XV. c. X. p.* 565. dicitur carduorum ſpecies, fructum ferens flavum, qui digitum longus eſt & crudus ori obiectus labia excoriat. 4.) Caraguata acanga PISONIS *Hiſt. Braſ. p.* 111. folia habet in ſpeciem gladii mucronata prælonga, utrimque ſerrata aculeisque atrocibus munita; fructus intimo gremio occultat digitum longitudine & craſſitudine adæquantes, coloris intus & extus albi ad flavum inclinantis, ſemina rotunda & nigricantia in carne ſpongioſa ſucculenta aciduli ſaporis foventes &, ſi uberius ſumuntur, fauces excoriantes. Figura, quæ additur, eſt vilis copulam tantum exhibens foliorum, quæ, ratione magnitudinis imminutæ, ſatis longa & anguſta ſunt. Additur fructus integri & diſſecti, naturalis magnitudinis, figura, quæ illa ipſa eſt de LAET n. 2. qui notas in hunc librum addidit. Huius plantæ eandem deſcriptionem easdemque figuras exhibet PISO *de Ind. utriusque re med. & nat. p.* 191. ubi vero addit, proxime ad terram provenire multos flores iuxta ſe in orbem poſitos, ex cæruleo purpureos & in medio alba ſtamina habentes, quemlibetque florem, digitum longum, conſtare tribus foliis. Hac cum deſcriptione convenit quoque Caraguata acanga MARGGRAVII *ibid. p.* 88. & RAII *Hiſt. II. p.* 1200. *n.* 12. ubi folia dicuntur 7. aut 9. pedes longa, ſesquidigitum lata & fructus 5. digitos longus. Eandem recenſet porro SLOANE *Cat. p.* 118. *Itin. I. p.* 248. ubi nullam deſcriptionem iungit, ſed, addito nomine Penguins, tantum monet, ſe aliorum deſcriptioni nil notabile addere potuiſſe. Ceterum PISONIS figuram malam declarat pariter ac illam HERNANDESII, ſi eadem eſt, quam ille intelligit, ut putat de LAET, quibus ſubiungit, deſcriptionem in omnibus convenire, excepta caulis brevitate. Ab eodem *Itin. T. II. p.* 379. huic, ut ſynonymum, additur Karatas foliis altiſſimis, anguſtiſſimis & aculeatis *Plum. p.* 10. Eiusdem PISONIS figuræ foliorum (omiſſa illa fructus) in *Muſ. Wormian. p.* 193. male iungitur Caraguatæ deſcriptio, quæ cum Aloes Americanæ mucronato folio propius convenit, & nihilominus *ibid. p.* 205. *ſeq.* declaratur pro Karouata de LAET ſuperius n. 2. indicata, cuius auctoris vero nomen tacet, licet hoc loco, iisdem verbis eius deſcriptionem, a priori plane alienam, transſcripſerit. 5.) Pengvvyn, Latinis Karatas HVGHES *nat. hiſtory of Barbados p.* 232. foliis gaudet 9. pedes longis & 2. pollices latis inſtructisque ad latera acutis & uncinatis ſpinis ſesqui pollicem diſtantibus. Hæc denſiſſime prope terram collecta ambiunt coronam circularem ad pedis diametrum amplam; inde excreſcit corymbus fructuum arctiſſime coniunctorum, qui ſinguli 4. circiter digitos longi & 1. lati, utroque extremo acuti, in medio quadrangulæ figuræ & exterius ex albido luteoque vireſcentes ſunt; ſemina continent innumerabilia parva plana, & pulpæ albæ ſapor acris eſt. Floris nulla fit mentio & figura, uti in pleriſque aliis ſtirpibus deſcriptis, ubi utiliſſimæ fuiſſent, deſideratur. 6.) Supereſt alia Caraguata MARGGRAVII *p.* 86. quæ eâdem foliorum figurâ PISONIS ſupra n. 4. citatâ repræſentatur, licet alia plane deſcriptio ei iungatur, ſecundum quam caulis 2. circiter pedes longus eſt, ad quem bina & bina capitula poſita ſunt, in ſummitate autem plerumque quinque, figurâ ut Cinaræ, magnitudine nucis iuglandis, ex craſſis atque aculeatis foliolis conſtantia, elegantis coloris incarnati, quæ iisdem verbis leguntur apud RAIVM *Hiſt. II. p.* 1199. *n.* 10. Eadem deſcribi videtur a PISONE *Hiſt. Braſ. p.* 112. conf. *idem ibid. p.* 88. ut & *Hiſt. Ind. p.* 196. ubique ſine figuris. Sed hæc ſtirps, ob fructus ſingularem & plane aliam conformationem, hic prorſus excludenda eſt, & convenire videtur cum illa, quæ ab aliis vocatur Ananas ſylveſtris, de qua conf. PISO *l. c. ſub finem cap. XXXVII. p.* 196. Caraguatæ altera ſpecies de LAET *p.* 565. Nana brava MARGGR. *p.* 33. Anana ſylveſtris *Park. Th.* 1626. Ananas ſylveſtris *Munt. Phyt. p.* 28. *t.* 135. Ananas ſylveſtris Acoſtæ *Hiſt. Lugd. II.* 1871. Ananas ſylveſtris folio Aloes, fructu cupreſſino *I. B.* 111. 96. *Rai. II.* 1333. Ananas ſylveſtris Braſiliana Kerbita vulgo P. B. P. *Pluk. Alm.* 29. *Phytogr. t. CCLVIII. f.* 3. Kaidà *H. Mal. T. II. t.* 1. *Rai. II.* 1442. His omnibus hactenus citatis, ut debita accuratione hactenus deſcriptis vel delineatis, rite ponderatis, ſalva aliorum ſententia concludimus ſequentia: 1.) Si Plumerianæ Bromeliæ fructus delineatio ſecundum eius deſcriptionem interpretanda vel emendanda eſt (quod omnino veroſimile videtur) Dilleniana & noſtra planta eſt huius ſpecies, ſed alia, quam quas PLVMERII delineationes a DILLENIO examinatæ exhibent; nihilominus tamen LINNÆI ſpecifico nomine indicato recte ſalutatur. 2.) Si Plumerianæ Karatæ flos monopetalus (qualis etiam in noſtra figura *e.* primo intuitu apparet ob

tubi

tubi ſegmentorum arctiſſimam unionem) non eſt, ſed tripetalus: haec & Bromelia, docente LINNÆO, unum idemque genus omnino conſtituunt, nec dubium movet huius fructus figura *d.* cum quatuor tegumenti partibus repraeſentata, quia, ut ſupra iam monuimus, haec figura ſuſpecta eſt & reliquis *c. e.* minime reſpondet. 3.) Quia non ſolum Caraguatae acangae ſupra n. 4. citatae flos deſcribitur tripetalus, verum etiam huius & Karouatae (n. 2.) fructus delineatio, eiusque ſecundum longitudinem, craſſitudinem figuramque deſcriptio (in quibus etiam reſpondet fructus Pen-gvvyn n. 5. ſi excipias figuram quadrangulam forte non ſatis accurate obſervatam) cum noſtro fructu *fig. n. o.* depicto penitus convenit, adeoque hic pro uno eodemque cenſendus venit; huius autem pulpa trifariam *fig. p.* diviſa eſt, hae ſtirpes ad Bromeliae genus referendae ſunt. 4.) Quia harum ſtirpium n. 4. 5. fructus plurimi ad caudicis ſummitatem in foliorum gremio, ſine ſcapo notabili, corymbi hemiſphaerici ampli in modum arctiſſime inter ſe colliguntur: oritur inde nota ſpecifica, quae eas a noſtra ſtirpe diſtinguit. 5.) Quia Mexocotl n. 1. hac nota quidem convenit, ſed fructu & foliis multo brevioribus latioribusque differt: haec iterum ut alia ſpecies, vel ſaltem ut antecedentis varietas, diſtinguenda videtur. Ceterum num hucusque ſic dictae Karatae ſpecies omnes floribus indeque prognatis fructibus in corymbum collectis ſpecifice ſe diſtinguant ab illis Bromeliae, aliis, quibus occaſio favet, diſquirendum commendamus, & hoc unicum adhuc monemus, Plumerianae Karatae foliis altiſſimis & anguſtiſſimis optime reſpondere Caraguatam n. 4. & Pen-gvvyn n. 5. foliis 7. vel 9. pedes longis & 1. vel 2. pollices latis; valde vero differre fructus figura, quae in his propter longitudinem & utrumque extremum anguſtum quaſi fuſiformis eſt, quum illa, propter longitudinem minorem & extremum inferius anguſtum ſuperius vero amplum rotundumque, conica recte dicitur.

Mantiſſa. Hactenus deſcriptio atque Hiſtoria haec calamo exarata & typis excuſa iam eſt, quum a. 1751. decuria quinta in publicum prodiit, id quod philyra antecedens p. 22. monſtrat: nunc adhuc iungimus haec pauca. 1) DILLENIVS in ſua huius plantae deſcriptione affirmat „ eam & illam, quae a PLVKNETIO vocatur „ Ananas americana „ ſilveſtris altera minor Barbados, & inſulae Iamaicae „ noſtratibus colonis Pinguin dicitur *Almag. bot. p.* 29. eſſe „ eandem; eius figuram vero *Phytogr. tab.* 258. *f.* 4. ad „ iuniorem plantam minore quantitate factam eſſe ſine floribus, „ nec aliam eius vel cum vel ſine floribus iconem proſtare „ ſe meminiſſe. „ 2) Anno 1756. prodiit cel. BVRMANNI Plantarum Americanarum faſciculus tertius, continens plantas, quas olim CAR. PLVMIERIVS detexit eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe delineavit, ubi tab. LXII. LXIII. LXIV. tres Bromeliae figurae ſiſtuntur, ex quibus nulla omnino (ut DILLENIVS ex Architypi inſpectione iam monuit) cum noſtra figura convenit, neque etiam in reliquis tabulis Karatae eiusdem icon occurrit. 3) A. 1759. evulgata eſt cl. MILLERI Dictionarii hortulanorum ſeptima editio, ubi, ut antea, Bromelia & Karatas tanquam genera diſtinguuntur, & huius unica, illius vero duae ſpecies recenſentur, ex quibus nulla noſtrae reſpondet. Coepit quidem laudatus vir, memoratum dictionarium ſuum deſcriptionibus atque figuris plantarum ad illud pertinentium (titulo: *Deſcription of the figures of Plants adapted to the Gardeners Dictionary*) egregie illuſtrare; ſed inter illas, quae ad noſtras hucusque pervenerunt manus, plantae, de quibus nobis ſermo eſt, non occurrunt.

Atque haec ſufficiant ad declarandum, quam difficile ſit, imperfectas deſcriptiones aeque ac figuras citatas inter ſe comparare.

Ceterum monemus, nos quidem aliquot huius collectionis plantas paullo fuſius expoſuiſſe otio & animi alacritate gaudentes; poſtquam autem officiorum publicorum functiones in dies ſe cumularunt & aetas ingraveſcere coepit, occupationes has ſucciſivas per VII. Annos mittere coacti ſumus, licet decuriae ſextae tabulae omnes iam pridem paratae fuerint. Vt autem earum continuationem deſiderantibus noſtram propenſionem declaremus, iisdem nunc denuo nos accingimus, ea tamen differentia, ut tabularum ſequentium expoſitiones maximam partem ea ratione, quam primum obſervavimus, proſequamur, cumprimis quia comperimus, nec illam reſtrictam expoſitionem diſplicuiſſe illis, qui hoc opus ſibi compararunt. Eadem ratione nunc pergentibus nobis ſpes inſuper affulget, reliquas decurias, Deo iuvante, citius abſolvi poſſe, usque dum harum plantarum ſelectarum Centuria completa ſit, quarum tantus numerus iam paratus ad manus eſt.

TAB. LII.

IXIA foliis enſiformibus, floribus remotis *Linn. H. Vpſal.* 16. *ſpec.* 36. *n.* 2. *Ph. Mill. diction. edit. VII.*

Ixia Chinenſis (nomen triviale Linn. ſpec. 1, c.) *Io. Gotthilf Müllerі ſpec. plantar. t.* 3.

Bermudiana iridis folio maiori, flore croceo eleganter punctato *Krauſ. Ind. plantar. p.* 25. *cum icone Eiusd. Catal. arbor. frut. & herbar. p.* 7. *n.* 134.

Balemcanda-Schulärmandi *Rheed. H. Malab. XI. p.* 73. *t.* 37.

Gladioli affinis Malabarica, flore flavo, maculis rubris interſperſo *Commel. in not. ad H. Malab. l. c. p.* 74. *Eiusd. Flor. Malabar. p.* 33. *b.*

Expoſ. a. a. a. N. *I.* ſpathae, *b. b. I. II.* flos apertus a facie interiore ſeu ſuperiore, *c. c. c. I. II.* tria petala interiora, exterioribus paullo longiora, latiora & teneriora (uti in omnibus ſic dictis floribus liliaceis, quod iam in *Commercio litter. Norimb. a* 1743. *p.* 286. indicavimus & ill. HALLERVS in ſuo tractatu *de Allii genere naturali p.* 5. & 17. nota *a*, confirmavit) cum maculis ſaturate purpureis ad unguem latioribus, *d. II.* flos apertus a facie exteriore ſeu inferiore, *e. e. e. I. II.* tria petala exteriora, interne ſimilibus maculis, externe vero nervo herbaceo notata, *f. I. II.* ovarium ſeu germen trigonum, *g.* idem transverſe ſectum, *h. I. II.* veſtigia petalorum abſciſſorum, *i. i. I. II.* tria ſtamina, *k. II.* ſtamen ſeparatum, nempe filamentum ſubulare cum anthera biloculari lateraliter dehiſcente a facie interiore, *l. II.* a facie exteriore, *m. n. II.* eadem in magnitudine aucta, *o. I. II.* anthera transverſe diſſecta, ut bini eius loculi filamento adhaerentes compareant, *p. I. II.* ſtylus cum tribus ſtaminibus ovario inſidens, *q. II.* idem in magnitudine aucta, *r. I.* ſtyli ſtigmata quatuor, *r. II.* ſtyli cornicula tria, *s. II.* eadem in magnitudine aucta, *t. II.* eadem a facie ſuperiore recta, *u. II.* pericarpium trigonum maturitati proximum cum reliquiis floris marcidi, *x. II.* idem transverſe ſectum eiusque tria loculamenta cum ſeminibus nondum maturis, *y. y. y. I. II.* pericarpium maturum trifariam dehiſcens, *z. II.* axis, cui ſemina adhaerent, *a II.* ſemen ſeparatum cum filamento axi adhaerente.

Nota. Hanc picturam Dn. EHRETVS a. 1743. ad nos miſit & nominavit Siſyrinchium africanum Iridis folio flore aurantio maculis purpureis adſperſo petalis aequalibus *Miller.* Sed MILLERVS in ſexta ſui dictionarii editione recenſet quidem Siſyringii quinque ſpecies, noſtra vero inter illas non occurrit, & in ſeptima editione ſolummodo noſtram ſpeciem Linnaeano Ixiae nomine adducit, a Siſyringio diſtinguit & utrique generi peculiarem characterem tribuit; addit quidem, hanc Ixiam eſſe Siſyrinchium *Comm. Hort. Amſt.*; ſed IO. COMMELINVS in prima citati horti parte tres quidem deſcripſit & delineavit Siſyrinchii ſpecies, quarum vero nulla cum Ixia noſtra convenit: CASP. COMMELINVS autem neque in altera huius horti parte, neque in ſuis Praeludiis botanicis, neque etiam in horti medici Amſtel. plant. rarior. & exot. Siſyringii ullam mentionem facit.

Quum poſt obtentam EHRETI picturam *N. I.* occaſio nobis data eſt, hanc ipſam plantam colendi, nonnullas obſervavimus differentias, quas figuris *N. II.* addidimus; ſtyli namque ſtigmatum quatuor *r. I* loco, cornicula tria *r. II;* floris colorem multo rubicundiorem, qui flavus in H. Malabarico deſcribitur, & in imagine Ehretiana pingitur; itemque ſeminum colorem non pallidum ſed plane ex atro ſplendentem. An haec indicent differentiam conſtantem? an maiorem vel minorem maturitatem? an varietatem ex climate aut cultura mutabilem? experientia confirmandum eſt.

Haec ipſa planta egregie iam delineata & deſcripta eſt in H. Malabarico, ſed ſecundum deſcriptionem magnitudine (quae hominis ad altitudinem, procul dubio ex climatis benignitate, aſcendens dicitur) noſtram multum ſuperat, flores etiam in delineatione, probabiliter ſecundum omnes ſtirpis partes imminuta, maiores apparent: ceterum in omnibus convenit cum noſtra. Praecipue autem laudanda eſt figura nativis coloribus

ribus illuſtrata, quam P. G. MVLLERVS in ſua *plantarum Decade prima*, (num plures atque etiam huius Decadis deſcriptiones acceſſerint, nos haud comperimus) *Berolini* 1757. *in fol. reg. edita*, exhibuit, quaeque noſtris obſervationibus ratione floris feminumque coloris & ſtigmatum numero diviſioneque reſpondet. Neque KRAVSII icon a natura recedit, etſi pro libri norma multo imminuta ſit: in qua pariter tria tantum ſtigmata diviſa delineantur, ut ideo vero ſimile ſit, hanc partem exemplaris Ehretiani monſtroſe conformatam fuiſſe.

TAB. LIII.

INDIGOFERA ſcapo recto, foliorum pinnis oblongis, ad apicem obſcure acutis incanis, florum ſpicis erectis, floribus confertis, leguminibus teretibus erectis glabris.

Expoſ. a. flos in magnitudine naturali a facie anteriore, *b.* poſteriore, *c. d.* in magnitudine aucta, *e.* calyx, *f.* vexillum, *g. g.* alae, *h.* carina, *i.* ſtamen ſolitarium, *k.* reliquorum ſtaminum diadelphiorum vagina communis, ex qua eorum antherae prominent, *l.* ſtylus brevis, ſeu germinis apex cum ſuo ſtigmate, *m.* legumen rectum, *n.* aliud paullulum incurvum, *o.* legumen ablata valva altera cum ſeminibus in ſitu ſuo, *p.* ſemen exemtum, *q.* valva ſeparata a facie interiore.

TAB. LIV.

INDIGOFERA ſcapo recto, foliorum pinnis ovatis, ad apicem obtuſis glabris laete virentibus, florum ſpicis erectis, floribus ſparſis, leguminibus teretibus pendulis incurvis ſubhirſutis.

Expoſ. a. flos a facie anteriore, *b.* vexillum, *c. c.* alae, *d.* carina, *e.* calyx cum ſtamine ſolitario & reliquis diadelphiis, *f.* germen cum ſtylo brevi & ſtigmate obtuſo, *g. g. g.* legumen pendulum, *h.* idem ablata valva altera cum ſeminibus denudatis, *i.* valva ſeparata a facie interiore, *k. k.* ſemina ſeparata.

TAB. LV.

INDIGOFERA ſcapo infirmo, pinnis oblongis pallide virentibus glabris, pedunculis ſpicae longiſſimis, floribus laxe diſpoſitis, leguminibus compreſſis brevibus gibboſis ſubaſperis diſpermis.

Expoſ. a. flos a facie anteriore, *b.* vexillum, *c. c.* alae, *d.* carina, *e. f.* ſtamina diadelphia & ſolitarium, *g. g. g. g.* legumen compreſſum gibboſum, *h.* idem altera valva ablata cum binis ſeminibus denudatis, *i.* altera valva ſeparata a facie interiore, *k. k. k.* ſemina exemta.

Nota. Harum trium tabularum LIII. LIV. & LV. picturas iam a. 1748. a Dn. EHRETO obtinuimus, ſed ſine leguminum figuris. Primae LIII. ſubſcripſit nomen Providence Indigo, foliis argentei coloris, cui hoc peculiare phoenomenon addidit, quod in floribus maturis, ſi alarum vel carinae extremitates tanguntur, hae illico a ſe invicem diſſiliant ſtaminumque vagina ſimul ſe erigat, quod iucundum ſpectaculum ipſe ſaepius repetiit. Secundam picturam LIV. ſignavit Quatimalo Indigo foliis ſaturate viridibus. Tertiam LV. Indigo Carolinienſe ſilveſtre perenne. Legumina deinde nobiscum benevole communicavit Dn. MILLERVS, quae ſingulis his tabulis adpingenda curavimus, ſed tantum coniecturantes, quia eadem alio nomine ſpecifico ſignata erant. Primum ſcilicet inſcribebatur Indigofera caule fruticoſo perenni, foliolis ovato acutis incanis, floribus ſpicatis, leguminibus teretibus erectis; ſecundum Indigofera caule fruticoſo, foliis ovatis incanis, pedunculis multifloris, leguminibus pendulis incurvis falcatis; tertium Indigofera radice reſtibili, caule ramoſo, pedunculis multifloris, foliolis ſubrotundis glabris, leguminibus articulatis. Ex primae ſpeciei ſeminibus ſatis prodiit planta toto habitu tabulae LIII. reſpondens, ſed ad ſiliquas producendas non perveniens: reliquarum ſemina non germinarunt.

Laudatus MILLERVS in ſexta Dictionarii ſui editione tres indicavit ſpecies, 1) Anil ſive Indigo Americana, ſiliquis in falculae modum contortis *Marchant. Mem. Ac. Reg. Sc.* 1718. the true Indigo &c. cuius figura colorata eodem nomine occurrit inter figuras ſuas publicatas (quarum titulum generalem vid. ſupra in Mantiſſa notae ad tab. LI.) ubi pro ſynonymo eius iungitur Emerus americanus ſiliqua incurva *Tourn. I. R. H. p.* 650. *t.* 418. 2) Anil ſive Indigo americana fruticoſa argentea, floribus e viridi purpureis, ſiliquis falcatis. The vvild Indigo, or Guatimalo Indigo. Coluteae affinis fruticoſa, argentea floribus ſpicatis e viridi purpureis ſiliquis falcatis *Sloane Cat. Iam. p.* 142. *Itinerar. II. p.* 37. *t.* 176. *f.* 2. ubi inter ſynonyma quaeritur: an Colinil *H. Mal. I.* 103? & an Indigo folio rotundo, ſive Indigofera rotundifolia *Munt. Aardgew. p.* 228. *Phytogr. p.* 13. *t.* 58? 3) Anil ſive Indigo ſiliquis latis aliquantulum incurvis. Emerus indicus ſiliqua aliquantulum incurva, ex quo Indigo *Breyn.* (hoc nomen neque in prodromis, neque in centuria, neque etiam inter icones plantarum rariorum inveni:) in prodr. II. vero occurrit Sesban aniliferum Indicum, Coronillae foliis, vel Indigo indica nobis, cui ut ſynonyma iunguntur Coluteaindicaherbacea, ex qua Indigo *Herm. Cat. hort. &* Nil, Anil ſive Indigo Indica *Moriſ. Hiſt. Ox. P.* 2. Idem MILLERVS in ſeptima operis citati editione quinque recenſet ſpecies his nominibus: 1) Anil leguminibus arcuatis incanis, racemis folio brevioribus, caule fruticoſo perenni, the Iamaica vvild Indigo, quae ipſi eſt Coluteae affinis fruticoſa argentea, floribus ſpicatis e viridi purpureis, ſiliquis falcatis *Sloane Cat. Iamaic.* 142. *Itinerar. II. p.* 37. *t.* 176. *fig.* 3. 2) Anil leguminibus ſeſſilibus arcuatis glabris foliis impari-pinnatis, foliolis ovatis obtuſis, the Guatimala-Indigo, quae ipſi eſt Indigo americana ſiliquis in falculae modum contortis *Marchant. l. c.* 3. Anil leguminibus teretibus brevibus, foliis pinnatis quinisve, ſpicis florum longiſſimis laxis, radice perenni, the Carolina vvild Indigo. 4) Anil leguminibus pendulis lanatis compreſſis, foliis pinnatis. 5) Anil leguminibus horizontalibus teretibus, foliis pinnatis ternisque. A LINNAEO *Amoenit. Acad. I. p.* 408. & *ſpec. II. p.* 751. tres indicantur ſpecies: 1) Indigofera leguminibus arcuatis incanis, racemis folio brevioribus. Coluteae affinis fruticoſa, floribus ſpicatis, purpuraſcentibus, ſiliquis incurvis, e cuius tinctura Indigo conficitur *Sloan. Flor.* (*Catal. Iamaic.*) 142. *Itiner. II. p.* 34. *n. VIII. t.* 179. *fig.* 2.) Anil ſeu Nil Indorum Color *Bauh. Hiſt.* 2. *p.* 945. Ameri *Rheed. Mal. I. p.* 101. *t.* 54. 2) Indigofera leguminibus pendulis lanatis tetragonis. Aſtragalus ſpicatus, ſiliquis pendulis, hirſutis, foliis ſericeis *Burm. Zeyl.* 37. *t.* 45. Katu tagera *Rheed. Mal. IX. p.* 55. *t.* 30. 3) Indigofera leguminibus horizontalibus teretibus, foliis pinnatis ternatisque. Colutea ſiliquoſa glabra, ternis quinisve foliis madraſpatana, ſemine rubello. *Pluck. Almag.* 110. *t.* 166. *f.* 1. Nir-pullari *Rheed. Mal. IX. p.* 67. *t.* 36. mala.

Has recenſitas Indigoferae ſpecies ab auctoribus cum earum ſynonymis annotatas indicaſſe, ſufficiat; omnium vero ut & cuiusvis ſynonymorum (quae ſubinde variant) inter ſe comparationem aliis relinquimus & figurarum citatarum tantum cum noſtris tabulis convenientiam aut differentiam indicamus, ut eo facilius comparatio inſtitui, atque etiam perſpici queat, quaenam recte aut ſiniſtre ut ſynonyma producantur.

1.) Figura colorata, quam MILLERVS Anil nomine exhibuit, toto habitu cum noſtra tabula LIII. convenit, ſi excipias florum colorem ſaturate ſanguineum) leguminis etiam) licet primis tantum lineis in latere additi; ſitus erectus definitioni noſtræ reſpondet. 2.) MARCHANTI figura pariter quidem non abſimilis eſt, ſed legumina delineat articulata & pendentia. Ceterum hic A. *l. c. Edit. Pariſ. p.* 92. *ſeqq.* omnium huius plantæ (quam ipſe coluit, & Indigotier nominavit) partium deſcriptionem dedit eiusque ab Emero *Tournefortii* differentiam genericam & ſpecificam fuſius expoſuit, minus tamen adcurate florem roſaceum ex quinque petalis conſtantem, & ſiliquam articulatam deſcripſit delineavitque. 3.) Emeri *Tournef. I. R. H. p.* 650. *t.* 418. legumen delineatur articulatum vel ſaltem ad ſingula ſeminum loculamenta toroſum hinc vel TOVRNEFORTIVS *l. c.* Coluteæ foliis Anil nominatum *I. B. H. I. t. XI. p.* 384. (cuius nec flores nec legumina delineantur) male ad Emeri ſui genus retulit & Emerum americanum ſiliqua incurva nominavit; vel, ſi Emeri ſpecies eſt, Indigoferæ ſpecies eſſe nequit. 4.) Coluteæ affinis argentea &c. *Sloan. Itin. II. t.* 176. f. 3. foliorum pinnæ & florum ſpicæ ſecundum delineationem & deſcriptionem ſatis etiam cum tabula noſtra LIII. conveniunt; ſed legumina (quæ non delineantur) deſcribuntur pariter deorſum pendentia, foliorum pinnæ quoque anguſtiores ſunt. 5.) Coluteæ affinis ſpeciei alterius *Sloan. Itin. II. p.* 34. *t.* 179. *f.* 2. (quæ a LINNEO in Amœnit. Acad. l. c. no. I. citatur) delineantur foliorum pinnæ adhuc anguſtiores, florum ſpicæ longiores ramoſæque, & legumina, quæ his adduntur, incurva ſeu falcata, nodoſa vel quaſi articulata, alia pendentia alia magis erecta. 6.) Anil ſeu Nil Indorum Color *Bauh. Hiſt. II. p.* 945. ubi figura iterum deficit. 7.) Colinil *H. Malab. I. fig.* 55. toto habitu equidem non multum quoque a tab. LIII. recedit; ſed deſcriptio atque inprimis leguminum delineatio non convenit, foliorum pinnæ etiam anguſtiores ſunt. 8.) Indigoferæ *Munt.* tres delineantur ſpecies in una tabula: prima vocatur Indigofera coluteoides, & Indigo folio cordato; ſecunda rotundifolia; tertia longifolia. Secundam foliis rotundioribus ac minoribus tantum a prima differre, additur; ſed neutra recte vocatur rotundifolia: ſunt enim folia potius pinnata ex foliis binis coniugatis cum impari in ſummitate compoſita, ſingulis oblongis & ad apicem biſidis, (unde ſine dubio illa ab A. cordata vocantur) qua nota, dummodo figuræ genuinæ ſunt, ab omnibus ſpeciebus, quas alii recenſent, adeoque etiam ab illis, quas KIGGELAIR in Phytogr. pro ſynonymis indicavit, differunt; Legumina nec deſcribuntur nec delineantur, & florum ſpica laxa ſecundæ tantum ſpeciei adpingitur, ſed tam imperfecte, ut nemo inde generis characterem cognoſcere poſſit. Tertia valde ſimilis ſi non eadem eſt cum Xiuh Quilitl Pizahac ſeu Anir tenuifolia *Rechi apud Hernand. plantar. Mexicanar. l. IV. p.* 108. 9.) Sesban *Breynii* figura quidem caret; in altera vero Prodr. II. editione a Filio adornata in nota ſubiecta non ſolum Anil *Marchantii* pro huius plantæ ſynonymo declaratur, verum etiam floris fructusque character ex propria obſervatione additus (ubi ille MARCHANTII recte corrigitur) ſatis declarat, eam eſſe genuinam Indigoferæ ſpeciem; quænam autem ſit, haud clare patet, licet eius differentia & convenientia cum illa, quam IO. BAVHINVS Hiſt. I. t. XI. p. 386. nomine Sesban foliis Hedyſari deſcripſit & delineavit (quæ figura vero typographico errore, in antecedente pagina nomini Taxoco-quamoclit addita eſt) ſollicite indicetur, & ex quibus tantum adparet, Sesban Breynii folia eſſe breviora foliolorumque in coſta coniugationes pauciores; floſculos exiles admodum Meliloti ſimiles; ſiliquas multo breviores, membranis intergerinis tenuioribus & paucioribus ſed arctioribus diſtinctas; ſemina pauciora ex tereti quadrata vel apicibus magis compreſſis & quaſi abſciſſis 10.) Colutea Indica herbacea &c. *Herm. Cat.* (*Ind. plant. H. Acad. Lugd. Bat.*) figura pariter caret. 11.) Nil vel potius Nir (quod Arabibus color cæruleus eſt) Luſitanis Anir, Indigo ſive Indica *Moriſ. Hiſt. Ox. T. II. P. II. p.* 202. delineatur *Append. Sect. II. t.* 24. *f.* 1. quæ figura, more huic A. conſueto, parva eſt, & ſiſtit foliorum pinnas ovatas cum apice acuto & flores teretesque ſiliquas ex ſpica laxa pendentes paullulumque incurvas, adeoque noſtræ tab. LIV. quodammodo ſimiles. 12.) Ameri *H. Malab. I. f.* 54. foliorum pinnis ovatis & floribus in ſpicis ſparſis leguminibusque pendulis eiusdem tabulæ figuræ etiam accedit; ſtipitis vero altitudo unius hominis & craſſitudo ligneaque durities enormiter differt, legumina item recta, non falcata vel incurva, delineantur & deſcribuntur: his non obſtantibus hanc ſtirpem ad Indigoferæ ſpecies pertinere videtur, & ſuccum quoque Indigo dictum ex foliis parari additur. 13.) Aſtragalus *Burmanni Theſ. Zeyl. p.* 37. *t.* 45. ſeu Katu tagera *Hort. Mal. IX. fig.* 30. nulli noſtrarum tabularum ſimilis eſt ob legumina valde lanata & quadrata. 14.) Nir Pullari *H. Mal. IX. f.* 36. eſt planta trifoliata; flores delineantur in brevibus ſpicis ſparſi, legumina nec delineantur nec deſcribuntur. 15.) Ervum *Breynii Prodr. II. edit. II. p.* 61, cuius ſynonymum Burmanno (*Theſ. Zeyl. p.* 77. voce Coronillæ) eſt Colutea zeylanica argentea tota *H. L. B. p.* 169. *tab. p.* 171. ſecundum hanc iconem habet ſiliquas ſeu legumina articulata, ſeu intermediis toroſis prædita, & ut frutex deſcribitur humanæ altitudinis. 16.) Coluteæ ſiliquoſæ glabræ *Plucknetii t.* 166. figura 1. delineat folia inferiora ternata ſuperiora quinata, omnia ovata; legumina magis minusve erecta, longo petiolo nunc ſolitaria nunc bina brevi pediculo adhærentia; florum ſpicæ omiſſæ ſunt. 17.) Yztacpatli figura, quam hic A. ex *Rhecho apud Hernand p.* 451. *n. IX.* citat, foliorum omnium pinnas quinatas & flores, qui dicuntur ex viridi lutei, in ſpicis longis, longiores petiolos terminantibus, denſe congeſtos monſtrat, legumina vero omiſſa ſunt.

Merx illa, Indigo dicta, & hodienum celebris, priſtino ævo iam nota fuit, præſertim Arabibus, qui Nil (vel rectius Nir) & Anil illam vocarunt, eamque non ſolum ad uſum tinctorium, verum etiam medicum adhibuerunt (vid. e. gr. *RASIS Continens interprete SVRIANO Venet.* 1509. *fol. mai. L. ult. C.* 506. *p.* 71. *col. b.* & *AVICENNA interprete MONGIO & COSTAEO ibid.* 1564. *fol. C.* 513. *p.* 439.) qui uſus medicus etiam Malabaris (vid. *H. Malab. I. p.* 102. 104.) Brasilienſibus & omnibus pene Americæ populis (*Marggrav. hiſt. nat. Braſiliæ p.* 58. *Piſo de Indiæ utriusque re nat. & med. p.* 199. *Philoſ. Transact.* 1701. *n.* 276. *p.* 1056.) notus, immo a practicis Europæis probatus eſt (vid. *Ephem. N. C. Dec. II. A. I. p.* 282. *Moriſon H. Ox. II. p.* 202. *RAII Hiſt. I. p.* 927.) raro tamen adhibetur, quia nonnulli hoc pharmacum corroſivæ & nimium adſtringentis qualitatis arguunt (vid. *DALE Pharmacol.* 144. *BOECLERI Cynoſur. mat. med. Contin. II. p.* 504. & confer. auctores ab his citati) quam malignam qualitatem forſan contrahit ex vaſis cupreis, in quibus excoquitur, præcipue non debite purgatis. Arabum interpretes latini nomen Anil verterunt Indicum (conf. *MATTH. SYLVATICI Pandectæ Venet.* 1493. *fol. p.* 19. b. voce Anil, & *SIM. IANVENSIS Clavis ſanationis, voce Nil*) unde procul dubio Indigo, vox æque barbara, orta eſt. Pluribus priſci ævi ſcriptoribus non minus notam fuiſſe hanc mercem, fuſius expoſitum legitur in Diario illo batava lingua hoc titulo edito: *Kabinet der natuurlike Hiſtorien, Wetenſchappen, Konſten en Handwercken*, 12mo *Amſtel.* 1722. *menſ. Febr. p.* 64. *ſeqq.* Vt ut autem planta, ex qua hæc merx paratur, veteribus notiſſima fuerit, eam tamen tam negligenter deſcripſerunt, ut hodie nondum certo demonſtratum ſit, quamnam intellexerint.

Maſſa tinctoria ſæpius memorata paratur quidem præcipue ex ſingulis Indigoferæ recenſitis ſpeciebus, quod auctores citati teſtantur; ex una tamen præ altera præſtantiorem produci, indicant iidem, quod non ſolum a diverſarum ſpecierum qualitatibus propriis differentibus, verum etiam a ſolo natali, cultura & parandi modo vario procul dubio derivandum eſt. Neque tamen huius generis ſpecies ſolæ eiusmodi ſucco tinctorio præditæ ſunt, aliorum quippe generum etiam plantæ ſunt detectæ ſimili qualitate gaudentes. HERNANDEZ iam l. c. L. IV. p. 108.

p. 108. seqq. duarum plantarum Mexicanarum (quæ Xiuh Quilitl Pizahac nominantur) mentionem facit, quarum succus cæruleo tingit colore, figuræ vero ab Indigofera multum recedunt. MARGGRAVIVS & PISOI l. c. c. duas pariter producunt plantas, ex quibus fit Anil, quæ ab utroque iisdem pene verbis describuntur iisdemque figuris delineantur & a priore Herva d'Anir, a posteriori Caachira nominantur. Primæ speciei figuræ totus habitus Coronillæ nostrati quidem similis est (unde etiam a VOLKAMERO *Flor. Norimb.* vocatur Coronilla indica ex qua Anil) florum vero spicis differt & ob caules infirmos humique prostratos ad figuram tabulæ nostræ LV. magis accedit, eius flores vero in descriptione male comparantur cum calside aperta, ut in Hedera terrestri vel Vrtica mortua: altera species foliis simplicibus, lanceolatis, ex adverso binis, penitus differt & propius convenit cum Xiuh Quilitl Pizahac I. *Hernand.* (alterius speciei iconem hic non addidit) estque forsan Isatis indica folio Rorismarini, Glasto affinis, *C. B. pin.* 113. *n.* 111. Olim in America ex quadam Ononidis specie præparatam esse eiusmodi massam tinctoriam, annotat MILLERVS in explicatione tab. XXXIV. iconum suarum superius citatarum. De illa stirpe, cuius imaginem sequens tabula LIX. exhibet, BROWNE non dubitat, quin ex eius foliis pariter similis massa parari possit. In Decade VII. D. V. sequutura producemus Cytisi speciem, ex qua Barbadenses pariter Anil excoquunt.

Ex his liquet, plures plantas, potissimum flores sic dictos papilionaceos producentes, ad eandem mercem, licet non eiusdem præstantiæ, præparandam idoneas esse. Præ reliquis autem silentio non prætereunda est notissima illa planta Europæa, quæ Isatis & Glastum vocatur, quam ob decantatam inde dudum paratam massam, (Pastel vocatam) cum Anil plures veterum confuderunt, & de qua D. D. DAN. GOTTFR. SCHREBER peculiarem tractatum edidit hoc titulo: *Historische, physische und oeconomische Beschreibung des Waidtes, &c. Halle* 1752. 4*to* cum accuratissimis plantæ eiusque characteris iconibus, ubi p. 98. comparatio illius massæ, quæ inde paratur, cum illa, quæ Indigo vocatur, instituitur, immo sub finem præfationis alii excitantur, ad experiundum, numne ex Isatide melius adhuc pigmentum vel tinctura parari posset, quam ex ipso Anil, dummodo debita cura adhibeatur.

Modum, quo pigmentum Indigo dictum ex Indigofera seu Anil parandum sit, omnes fere auctores hactenus citati docent, omnium vero accuratissime & prolixissime Pater LABAT (*Voyage aux Isles de l'Amerique Vol. I. à la Haye* 1724. 4*to p.* 90. *seqq.*) quam relationem in Anglicam linguam versam suo Hortulanor. Dictionario Edit. VII. inseruit multisque annotationibus illustravit MILLERVS.

Qui plura de huius mercis præparatione & bonitatis signis, eiusque plantæ cum Isatide seu Glasto comparatione confusioneque, differentia, loco natali, cultura &c. scire desiderat, evolvat, præter auctores iam citatos, IO. EVSEB. NIEREMBERGII *historiam naturæ &c. p.* 339. *C. XI.* PARKINSON *Theatrum bot. p.* 600. IO. BAVHINI *Hist. pl. II.* 945. DOMIN. CHABRÆI *stirpium icones* 82. *b.* Du TERTRE *Histoire generale des Antilles T. II.* 107. De ROCHEFORT *Histoire naturelle des Isles Antillcs de l'Amerique T. I.* 237. Miscellan. *seu* Ephem. N. C. *Dec. II. A. II. ex obs. JO. HERB. de JÆGER p.* 5. Philosophical Transaction *Vol. XXII. A.* 1700. 1701. *n.* 267. *p.* 103. *&* *n.* 276. *p.* 1016. PIERRE POMET *Histoire gen. des Drogues P. I. L. V. p.* 151. Memoires de Trevoux 1732. *p.* 1278. Die heutige Historie oder der gegenvvärtige Staat von Indostan und Ceilon &c. nach dem Engl. und Hollændischen SALMONS und van GOCH p. 199. Dictionaire univers. de Commerce par JAQ. SAVARY p. 878. The Gentleman's Magazyne &c. *Vol. XXV. a.* 1755. *p.* 201. quæ relatio germanice reddita & annotationibus aucta exstat in collectione: Oeconomisch physicalische Abhandlungen *IX. Theil p.* 171. *seqq.* & conferat SCHRERI tractatum superius citatum.

TAB. LVI.

ARVM venis albis Italicum maximum *H. R. P.* 24. *Tournef. I. R. H.* 158. *Tilli H. Pis.* 16. *Rand. H. Chelf.* 23.

An Arum venis albis *C. B. pin.* 195. *n.* 1. *Phytopin.* 365. *n.* 1. *Raj. H.* 1209. *Segu. pl. Veron. I.* 252.

Arum acaule, foliis hastatis integerrimis, spadice clavato, varietas *β & ε Linn. H. Cliff.* 435.

Expos. a. spadix clavatus integer, *b.* longitudinaliter dissectus, *c.* nectaria seu cirrhi aut filamenta primi ordinis, *d.* secundi ordinis, *e.* antheræ sessiles duplici ordini cirrhorum interiectæ, *f.* ovula.

Nota. Num Arum hoc maximum illudque venis albis C. B. non nisi vario atque mutabili, an perpetuo & constanti charactere inter se differant, ex utriusque historia non satis liquet. Si prius a posteriori, sive ut species sive ut varietas, distinguendum est, eius descriptionem & figuram nemo, quantum scimus, adhuc publicavit. Vnum ab altero distinguit Auctor H. R. P. & TOVRNEFORTIVS nec non LINNEVS, attamen hic tantum ut varietatem; neque TILLI, prius recensens, posterioris mentionem facit, neque SEGVIERIVS prioris nomen posteriori adiungit. Vtrumque nomen ut synonyma coniungit MORISONVS seu potius BOBARTVS *Hist. Ox. III.* 143., cui MILLERVS *Gard. dict.* ut & ipse BAVHINVS in *Phytopin.* respondere videntur. Qui posterioris descriptiones apud auctores hic & a C. B. citatos evolvit, inveniet, huic quoque folia maiora, quam vulgari, adscribi; sed inveniet etiam, eorum paucos venarum, plures macularum tantum albentium mentionem facere: unde novum oritur dubium, num scilicet hæc species ab illa, quæ vocatur Arum maculatum, maculis candidis vel nigris *C. B. pin.* 195. *n.* 11. ulterius distinguenda sit, quam sola magnitudine, numque hæc differentia constans sit, an clima aut solum varium illam producere valeat. Haud inanis, licet difficilis, labor esset, si omnes notæ peculiares (præter illas in fructificationis partibus pro generico charactere constituendo obvias) ita simul observentur & annotentur, ut compertum sit, quæ ex se ipso, vel saltem culturæ aut climatis ope, mutabiles, quæve semper constantes sint; unde demum certo concludere liceret, quæ ex his vel specierum vel varietatum, harumque vel constantium vel mutabilium, notis adscribenda essent. Hucusque scilicet nondum satis declaratum est, quæ notæ ad species quæve ad varietates definiendas perpetuo vel admittendæ vel excludendæ sint.

TAB. LVII.

VERBASCVM foliis lanatis radicalibus, scapo nudo *Linn. spec.* 179. *n.* 9.

Verbascum humile Alpinum, villosum, Borraginis flore & folio, *Tournef. I. R. H.* 147. *n.* 14. *Ind. plant. H. L. Bat.* 619. *Boerh. Ind. Alt. I.* 228. *n.* 10.

Auricula Vrsi Myconi *Dalech. Hist. Lugd. I.* 837. *cum fig.*

Auricula Vrsi Myconi villosa cærulea *I. B. III. app.* 869. *cum eadem figura.*

Auricula Vrsi Myconi Lugd. Cortusa Matth. Clus. Hist. *Morif. H. O. II. Sect. V. t.* 24. *f.* 5. *cum falsa icone.*

Auricula Vrsi flore cæruleo folio Borraginis *Parck. Parad. terr. II.* 236. folio & flore Borraginis *Eiusd. ib. p.* 237. *f.* 3.

Auricula Vrsi Borraginoides seu folio & flore Borraginis *Munt. Aardgew. p.* 382. *c. fig. Phythogr. p.* 23. *fig.* 113.

Auricula Vrsi folio & flore Borraginis Myconi *R. Vallet Jardin du Roy &c. fol.* 14. *f.* 3. *Sweert. Florileg. P. II. t.* 4. *de Bry Anthol. t.* 38. *Merian. Floril. renov. & auct. t.* 38. *figuræ eædem.*

Sanicula

Sanicula Alpina foliis Borraginis villoſa *C. B. pin. p.* 243. *n.* IX. *H. R. Pariſ. Ic. plantar. Moriſ. H. O. II.* 558.

Expoſ. a. Calyx & corolla a facie poſteriore; *b.* corolla, cum foramine pro ſtyli tranſitu remotis ſtaminibus & ſtylo, a facie anteriore, *c.* corolla diſſecta & explanata cum adhærentibus ſtaminibus, *d.* ſtamen ſeparatum cum filamento & anthera a facie poſteriore, *e* a facie laterali, ut filamenti inſertio pateat, *f.* a facie poſteriore in magnitudine aucta, *g.* calyx cum ovario & ſtylo, *h.* ovarium transverſe diſſectum cum binorum loculamentorum cavitatibus, *i.* idem eodem modo in magnitudine aucta, *k.* pericarpium maturum duplex ſeu in duo loculamenta a ſe invicem ſecedentia diviſum a facie laterali cum calyce perſiſtente & ſtylo horum loculamentorum uni adhærente & ſimul perſiſtente, *l.* eiusdem pericarpii duo loculamenta diducta a facie interiore ſeu contigua, *m.* unum loculamentum a facie interiore, ubi dehiſcit, *n.* a facie exteriore, *o.* idem transverſe diſſectum cum eius cavo ſemina, eius lateribus adhærentia, continente, *p.* idem in magnitudine aucta, *q.* ſemina in magnitudine naturali, *r.* aucta.

Nota. Huius plantæ mentionem iam fecimus in explicatione tab. XII. ſuperiore, ubi eadem Meadiæ congener nobis viſa eſt propterea, quia ex citatis figuris (quæ omnes viles ſunt, ſi excipias illam Muntingii, Parkinſoni, Valleti & imprimis H. R. P. a NIC. ROBERTO & CHATILLON repræſentatam) nulla huius ipſius plantæ floris partium omnium, & multo minus pericarpii ſtructuram delineavit, neque Dn. EHRETVS easdem imagini totius plantæ ſigillatim tunc adpoſuit, plantæ habitus vero illi Meadiæ valde ſimilis eſt & a Verbaſci reliquis ſpeciebus hac nota longiſſime recedit. Poſtquam autem laudatus EHRETVS rogatus ſingularum fructificationis partium figuras nobiscum communicavit, errorem facile cognovimus, & vi characteris earundem partium perſuaſi nunc ſumus, hanc plantam, antea nobis nunquam viſam, omnino Verbaſci generi adſcribendam eſſe.

TAB. LVIII.

CORALLODENDRON foliis ternatis caule ſimpliciſſimo inermi, floribus clauſis, leguminibus nodoſis.

Corallodendron humile, ſpica florum longiſſima, radice craſſiſſima *Catesby Carol. p. & t.* 49.

Corallodendron Carolinianum floribus ſpicatis coccineis, radice craſſiſſima *Miller. Gard. Dict. edit. VI.*

Coral Carolinienſis, haſtato folio Petiverii (*Hort. ſicc. n.* 82. qui proſtat *in Raii Hiſt. Pl. T. III. append. p.* 241. *ſeqq.*) *Dill. H. Elth. p.* 107. *t.* 90. *f.* 106.

Erythrina foliis ternatis, caule ſimpliciſſimo inermi *Linn. H. Cliff.* 354. *Spec. p.* 706. *n.* 1. *Roy. Prodr. H. Lugd.* 373. *Miller. Gard. Dict. Edit. VII.*

Expoſ. a. Floris calyx monophyllus ad oras leviſſime dentatus, *b.* corolla penitus adhuc clauſa, *c.* eadem in infimo latere dehiſcens, *d.* ſtamina ex hiatu prominentia, *e.* leguminis petiolus, *f.* legumen maturum ad ſingula ſeminum loculamenta tumidum, *g.* idem uno in latere dehiſcens & ſemina manifeſtans, *h.* ſemen exemtum, *i.* eius hilum, *k.* ſemen transverſe ſectum, ut ſubſtantia eius pateſcat.

Nota. Floris ſtructuram internam eiusque partes ſeparatas Dn. EHRETVS huic imagini non addidit, nec nos talem florem in natura obtinere potuimus ad hunc defectum ſupplendum; leguminis maturi vero exemplar laudatus Dn. MILLERVS pariter nobiscum communicavit. Si figuras citatas cum noſtra conferimus, levis quædam differentia notanda venit. In noſtra namque foliorum partes ovatæ in mucronem extenuatum abeunt; in Dilleniana & Catesbyana vero apicem verſus, & in hac ad baſin etiam, magis ſinuata delineantur, adeoque haſtæ omnino ſimiles ſunt: ceterum hæ figuræ inter ſe conveniunt. DILLENIVS ſuæ figuræ addidit floris partes internas ſingulas ſigillatim delineatas, quas complementi gratia noſtræ adſculpendas curavimus: 1. 1. indicant ambas alas, parvas ad vexilli baſin reconditas, ſtylum atque ſtamina obvolventes, convolutas teneras, coloris purpuraſcentis, 2. 2. ſunt carinæ partes duæ eiusdem coloris, ſtamina & piſtillum pariter cingentes, tam ad baſin quam in apice inciſæ & facile a ſe invicem ſecedentes, 3. 3. eædem partes diviſæ, 4. ſtamina decem, quinque longiora & totidem breviora, medium verſus a ſummitate coeuntia &, vaginæ 5. inſtar, piſtillum ambientia, apicibus ſeu antheris parvis oblongis flaventibus terminata, 6. piſtilli ſtylus ſimplex oblongus acuminatus purpureus, medium verſus craſſior & vireſcens, qui deinde fit leguminis petiolus, 7. piſtilli germen ſeu leguminis rudimentum ſtylo inſidens. Quia A. citatus harum partium colorem tantum deſcripſit, nos easdem etiam tales, quales invenimus, exhibemus. Exteriores floris partes, nempe calyx & corolla tubuloſa cum vexillo reflexo, litteris *a.* & *b.* iam indicatæ ſunt. Dilleniana huius ſtirpis imago caret leguminis ſeminisque figura, Catesbianæ vero imagini illa addita eſt tum adhuc clauſa, tum hians cum ſeminibus in ſitu ſuo, quæ ambæ figuræ a noſtris non differunt; hæc præterea radicem integram napiformem coloris flaveſcentis, depingit, cuius caput cum plurium caulium ex eo provenientium primordiis Dilleniana quoque indicat. Ceterum fructificationis partium omnium characterem exhibet LINNÆVS *Gen. Plant. Edit. V. n.* 762, cum quo conferri poteſt ille a MILLERO l. c. deſignatus.

TAB. LIX.

SOPHORA arboreſcens, foliis pinnatis, pinnis numeroſiſſimis ovatis piloſis, caule ſimplici, leguminum nodis valde diſtinctis.

Arbori Coral affinis non ſpinoſa, fraxini folio rotundiore, foliis & ramulis pubeſcentibus *Sloan. Cat. Jamaic. p.* 144. *Itiner. ſ. Hiſt. Vol. II. p.* 40. *n. XIII. tab.* 187. *fig.* 3. *Raii Hiſt. Dendrol. p.* 108. *n.* 5.

Expoſ. a. Flos integer, *b* calyx, *c.* vexillum, *d.* ambæ alæ, *e.* ambo carinæ ſegmenta, *f.* ſtamina & *g.* germen calyci *b.* adhuc incluſa, *h.* decem ſtamina & *i.* germen a calyce denudata, *k. k.* ſtamen brevius longiusque ſeparatum, *l.* germen cum ſtylo brevi & ſtigmate obtuſo, *m.* legumen maturum, *n.* idem valva altera ablata cum ſeminibus denudatis, *o.* valva ablata a facie interiore, *p.* ſemen exemtum.

Nota. I. Figura, qua hanc arbuſculam repræſentavit SLOANE, noſtræ imagini per omnia ſimilis eſt; ſed floris analyſis in partes & leguminis (quod A. ut ipſe fatetur non vidit) figura deficit. Ipſius arboris brevem deſcriptionem, a RAIO l. c. latine redditam, SLOANE ita concinnavit: „ Huius arboris „ virgæ cortice lanuginoſo albicante integuntur; ligno eſt molli, „ medulla ampla, folia ſurculos undique cingunt 7. 8ve uncias longa, pinnata, pinnis rhachi mediæ petiolo $\frac{1}{10}$ unciæ „ longo intercedente adnexis, rotundis ſeu ovatis, ſingulis in „ transverſum ſeu diametraliter $\frac{1}{10}$ unciæ partem extenſis, „ utrimque lanuginoſis & albicantibus, impari coſtam termi„ nante. Virgarum ſummitates ad 4. vel 5. dig. ſpatium in „ florum papilionaceorum ſpicas exeunt, ut in aliis congeneri„ bus, quorum ſinguli calyce albo ſuſtinentur. Semina eo„ rumque receptacula non obſervavi, adeoque, quid de iis „ dicam, non habeo. In mediterraneis inſulæ Iamaicæ obſer„ vavi. „ II. Galega? fruticoſa foliis ſubrotundis pinnatis, ſpicis ſimplicibus terminalibus *Browne civil and natural hiſtory of Jamaica p.* 289. *n.* 5. *t.* 31. *f.* 1. (qui A. idem SLOANE nomen pro ſynonymo agnoſcit) folium tantum unicum ſeparatum, floris autem partes ſingulas ſigillatim delineat & ſiliquæ etiam figuram addit. Huius ſtirpis flos eiusque partes cum noſtra figura ſatis conveniunt, ut & folii pinnæ, ſiliqua autem per totam longitudinem ſignata eſt faſcia eminente, ad ſeminum loculamenta minus tumet, ſemina ſeparata non globoſa, oblonga potius, apparent: eorum floriſque coloris nulla fit mentio in deſcriptione. Characterem huius ſtirpis hic A. his verbis definit: „ 1. Perianthium „ *campanulatum, leviſſime dentatum, fere truncatum;* 2. Corolla „ *quaſi leguminoſa, pentapetala irregularis; ſuperius ſubovata,* „ *lateralia oblonga æqualia, unguibus tenuibus incidentia, infima ad* „ *apices agglutinata;* 3. ſtamina: *filamenta* decem, *baſi leviſſime* „ *adnata, inde libera,* antheræ *cordatæ;* 4. Piſtillum: „ ſuſtentaculum *breve,* germen *oblongum,* ſtylus *brevis,* ſtigma „ *obtuſiuſculum;* 5. Pericarpium: legumen *longum toroſum;* „ 6. Semina *plurima oblongo-ovata.* „ Ex ſtaminibus liberis ſatis apparet, hanc ſtirpem non ad Galegæ (ut BROWNE interrogando ſuſpicatus eſt) ſed ad Sophoræ genus pertinere: Galega namque habet filamenta decem ultra medietatem coalita (vid. *Linn. Gen. pl. Ed. V. n.* 770. Sophora vero, ex obſ. LINNÆI *l. c. n.* 41, in omnibus cum papilionaceis & diadelphiis convenit, præterquam quod filamentis diſtinctis & ſeparatis gaudeat. Stirpis deſcriptio hæc eſt latine verſa: Hæc fruticoſa planta creſcit præcipue in locis humilibus prope mare & aſcendit plerumque ad 6. vel 7. pedum altitudinem. Coloris eſt profunde cinerei, profert plures ſiliquas longas

formæ rotundo-cylindricæ, ſed circa ſemina intumeſcentes. Suſpicor, annon folia huius plantæ præbeant bonæ notæ Indigo. Quum huius ſtirpis legumina ſeminaque (dummodo matura fuerint) pinnarum quoque color profunde cinereus a noſtris figuris haud leviter differunt; noſtra præterea ſtirps arbor eſt, hæc ut frutex deſcribitur: quæritur, an una eademque ſit ſpecies, an alia, an ſaltem varietas? III. Coralloden-dron folio Pſeudo-Acaciæ ſubtus tomentoſo flore luteo *Plum. Cat. ad calcem eiusd. Novor. Plantar. americanar. gener. p.* 21. Inter icones huius auctoris a BVRMANNO *Plantar. Americanar. (Plumerii) faſcic. V. p.* 91. *t.* 101. publicatas, lineis tantum peripheriçis, ut omnes, delineatur & a BVRMANNO recte vocatur Sophora foliis pinnatis, foliolis cordatis ſubtus tomentoſis, ſpica ſimplici. Hæc figura repræſentat pinnarum foliola ad apicem magis acuta & in baſi valde inciſa, adeoque omnino cordata; flores non ſatis diſtinctos nec eorum partes ſeparatas, & legumina ad ſeminum intercapedines minus contracta. Etſi ergo in reliquis noſtræ imagini ſatis ſimilis ſit, ipſique SLOANEI æque ac BROWNEI nomen ut ſynonymum iungatur; dubium tamen ſupereſt, annon pariter rectius, ſi non pro diſtincta ſpecie, pro varietate ſaltem agnoſcenda ſit. IV. Phaſeolo affinis arbor indica Coral dicta polyphyllos non ſpinoſa, foliis mollibus ſubhirſutis *Pluk. Almag. p.* 293. *Phytogr. t.* 104. *f.* 3. Hæc arbor BVRMANNO ſynonymum eſt ſuæ Sophoræ; ſed ipſe iam annotavit, folia quinque tantum monſtrare pinnas. Tota etiam figura eſt imperfecta: neque enim ex floribus vera eorum ſtructura cognoſci poteſt, neque leguminis figura addita eſt. V. Yztacpatli VIII. *Hern. p.* 451. (quod nomen ſuæ plantæ iungit PLVKNET) figura minus adhuc completa repræſentata eſt: caret namque & ſpica florigera & legumine; radicem vero napiformem & folia ſingula cum pinnis quinque delineat & deſcribit, unica inſuper pinna in latere, ut videtur in magnitudine naturali addita, vere cordata eſt.

Exemplar leguminis maturi, cuius figuram imagini Ehretianæ adpingendam curavimus, iterum benevolæ communicationi Dn. MILLERI debemus.

TAB. LX. & LXI.

CEDRVS foliis rigidis acutis perennantibus, conis ſubrotundis erectis.

Cedrus foliis rigidis acuminatis, non deciduis, conis ſubrotundis erectis *Plant. ſel. Tab. I.*

Expoſ. Tab. LX. *a.* iuli gemma, *b.* iulus cum calyce pronaſcens, *c.* idem per longitudinis medium diſſectus, *d.* in magnitudine aucta, *e.* iulus perfectus, *f.* eius calyx perſiſtens, *g.* calyx ſeparatus a facie interiore ſeu ſuperiore, *h.* iulus ſeparatus & per longitudinis medium diſſectus, *i.* eius axis, *k. k* ſtamina aliquot ſeparata, *l.* ſtamen in magnitudine aucta, cum filamento *m.* perbrevi, anthera *n.* magna, & *o.* eius extremitatis ſquama operculi loco inſerviente, *p.* anthera transverſe diſſecta, *q.* iulus aridus, *r.* huius ſtamen a facie ſuperiore, *s.* in magnitudine aucta, *t.* a facie laterali, *u.* inferiore, *x.* in magnitudine aucta, *y.* pars pollinis, quem continet, 1. conus iunior, 2. eius calyx, 3. calyx ſeparatus a facie externa ſeu laterali, 4. interna ſeu ſuperiore, 5. eiusmodi conus per longitudinis medium diſſectus, 6. eius axis, 7. coni pars inferior, 8. eius axis pars denudata; 9. ſquamula ſeparata a facie inferiore; 10. ſuperiore cum binis ſeminum rudimentis, 11. conus paullo adultior cum calyce reflexo adhuc perſiſtente, pedunculo cum ramo continuo & duobus foliorum faſciculis, 12. coni maturi pars inferior, cuius ſquamis ſingulis ſemina duo incumbunt, 13. eius axis a ſquamis denudatus, 14. ſquamarum una ſeparata cum binis ſeminibus, 15. bina unius ſquamæ ſemina ſeparata, 16. 16. ſeminis granum, 17. 17. eius ala ampliſſima.

Expoſ. Tab. LXI. *a.* foliorum faſciculus, thecæ communi incluſus, *b.* folium a theca ſeparatum, *c.* idem transverſe diſſectum, *d. e.* conus ex monte Libano per medium longitudinis diviſus a facie interna & externa, *f.* ſemina ſquamis interiecta, *g. g.* eius pedunculus ab arboris ramo avulſus, *h. i.* talis conus in Anglia natus, pari modo diviſus, ab utraque facie, *k. k.* ſemina, *l.* pedunculus, * baculus vertici alligatus, *m. n. o. p. q.* ſquamæ cum ſeminibus minus perfectis coni in Anglia nati.

Nota. Huius arboris celeberrimæ ramum, cum cono maturo & ramorum turionibus in magnitudine naturali in tabula I. iam repræſentavimus & in explicatione huius tabulæ aliquot ſynonyma indicavimus, quibus ſequentia adhuc iungi poſſunt:

Cedrus *Rauwolf. Itin. P. II. p.* 280. *f.* 33. *Bellon. obſerv. L. II. C. CX. cum fig. Matth. Comment. in Dioſc. edit. Ven.* 1570. *p.* 108. *cum fig. Epitom. p.* 44. *c. fig. Cammer. Epit.* 57. *c. fig. Tabern. Edit. Baſ.* 1664. *p.* 1352. *c. fig.* Cedrus Phœnicea *Renealm. Spec. Hiſt. Pl.* 27. Cedrus Phœnicia noſtra & Matthioli *Lugd.* 36. *c. fig.* Cedrus Libani *Ger.* 1352. *Cammer. Herb. (Kreaterb.)* 336. *c. fig. Barrel. ic.* 499. *Edwart. Ornithol. (Nat. Hiſtory of Birds) P. IV. p. & t.* 188. Cedrus magna *Dod.* 867. *c. fig. Portæ Phytognom. L. IV. c. VII.* Cedrus magna conifera Libani *Park.* 1532. *c. fig.* Cedrus maior montis Libani *Matth. comment. in Dioſc. Edit. Venet.* 1565. *p.* 126.. *c. fig.* Cedrus Libani & Paleſtinæ excelſa *Lob. obſ.* 630. *c. fig. Adverſ.* 448. *c. fig.* Cedrelate *Plin. H. N. Libr. III. c.* 58. & *Libr. XXIV. c.* 5. Cedre du Liban *de la Roque Voyage de Syrie & du mont Liban p.* 68. *ſeqq. c. fig.* Cedro dagli Hebrei & nelle ſacre Lettere *Anguill.* 43. Aeres S. Script. *Hilleri Hierophyt. P. I. C. XLI. p.* 377. *ſeqq. aliorumque.* Beroſch & Beroth S. Script. *Ol. Celſi Hierobot. p.* 74. *ſeqq.* Arz, Arzara Arabum *Sim. Januenſ. Clav. ſanat. Matth. Silvat. Pandect.* Scerbin *iidem ibid. Ol. Celſii Act. lit. & Sc. Sueciæ Vol. III. a.* 1733. *p.* 53. Scherbin. *id. ibid. & eiusd. Hierobot. p.* 74. Scerbin, Alſcerbin *Avic. Canon. I. Libr. II. tract. II. cap.* 164. Pinus foliis faſciolatis acutis *Linn. Spec. p.* 1001. *n.* 6. Larix foliis acutis perennantibus conis obtuſis *Mill. Gard. Dict. edit. VII.*

Omnes hi citati auctores, qui huius arboris figuram exhibuerunt, eius ramum tantum cum uno vel altero cono repræſentarunt, nemo vero totius arboris habitum, multo minus eas partes, quæ characterem declarant, deſcripſit vel delineavit. LOBELIVS quidem & de la ROQVE trunci partem addiderunt, ſed valde imperfecte, & plurimi conos pendentes ipſi adfinxerunt. Quum ergo compertum habuimus eandem arborem, primum ex ſeminibus ex ipſo Libano monte petitis educatam & nunc copioſe propagatam eſſe in Anglia, Dn. EHRETVM rogavimus, ut omnibus his noſtræ curioſitati ſatisfaciat, quibus, (iis ſcilicet, quas tabula LX. ſiſtit) obtentis, ad ductum harum figurarum hiſtoriam Cedrorum Libani compoſuimus, & *Novorum Actor. Acad. Cæſ. N. C. Tomo primo Obſ. C. I. p.* 409. *ſeqq.* inſeruimus, quam iisdem verbis & iconibus bibliopola ſeorſim excuſam ulterius evulgavit hoc titulo: *D. CHRISTOPH. IAC. TREW Cedrorum Libani hiſtoria earumque character botanicus cum illo Laricis, Abietis Piniique comparatus. Accedit brevis diſquiſitio, an hæc arbor ſit illa ipſa in ſacro Codice præ omnibus celebrata & vel* Aeres *vel* Beroſch *dicta: itemque an Græcis botanicis fuerit cognita. Cum tabb. æn. II. Norimb. impenſis Wolfg. Schwarzkopfii,* 1757. 4*to.* In hac hiſtoria ſimul contra celeber. OL. CELSIVM ſuſtinuimus, Cedrum Libani eſſe omnino Aeres S. S. Hic namque auctor multis argumentis *Actor. litt. & ſcient. Suec. l. c. p.* 50. & *Hierobot. p.* 106. demonſtrare conatus eſt, Aeres S. S. & Ers Arabum (quæ ipſi una eademque eſt Arbor) non poſſe eſſe Cedrum Libani, potiſſimum propterea, quia 1) teſtimonio omnium eorum, quibus eam obſervandi occaſio fuit, omnes in Libano hinc inde adhuc ſuperſtites caudicem tam brevem & ramos mox ſupra humum tam longos & craſſos oſtendant, ut earum trunci neque ad navium malos fabricandos, neque ad tanta ædificia (qualia, præter templum Hieroſolymitanum, palatia regia aliaque fuerunt) ſtruenda neutiquam idonei fuiſſent, ad quæ tamen, teſtantibus innumeris S. S. locis, Aeres inſerviit; 2) quia Ers Arabum eſt Pinus. Reliqua argumenta (quæ in noſtra Cedrorum Libani hiſtoria p. 18. ſeqq. recenſuimus) hic omittimus, quia hanc controverſiam hic repetendi & ulterius ventilandi nec animus nec locus eſt. Binis tamen argumentis memoratis, ſimulque Cenſuræ Gœttingenſi (*Gœttingiſche gelehrte Zeitung* 1757. *n.* 123. *p.* 1169. *ſeqq.*) quædam harum tabularum explicationi adponere non incongruum erit. Quod ad argumentum I. attinet, in hiſtoria noſtra iam aſſeruimus atque etiam ex auctoribus p. 15. ſeqq. citatis probavimus, Cedrum Libani tam brevem & a ramis tam enormibus mox ab humo difformem redditum caudicem ſua natura non obtinere, ſed eum pariter, ac in aliis arboribus coniferis, recta ac præcelſa meta aſcendere, niſi cauſæ accidentales id impediant, licet illæ quoque Cedri, quæ teſte MILLERI Dictionario a. 1683. tres tantum pedes altæ circa alveum horti Chelſeani hinc inde plantatæ (ex quibus unius maioris habitum, quo a. 1748. gaudebat, tab. LX. monſtrat) eandem monſtroſitatem exhibeant.

Noto

Noto notius namque eſt, Pinum e. gr. noſtratem (quæ eſt Pinus ſilveſtris vulgaris Genevenſis *J. B. I. p.* 253. & *Tournef. I. R. H.* 586.) ſi in ſilvis denſis, noſtræ regionis frequentibus, ſeneſcit, caudice gaudere recto atque tam alto, ut Batavi ſæpius tales pro navium malis ædificiorumque ſudibus ſeu pedamentis inde petierint; eandem vero, ſi ſolitarie procreſcit, quales pariter apud nos ad vias & ſilvarum margines haud raro occurrunt, in caudicem irregularem, ramis craſſis & longis ab imo ad cacumen usque cinctum, abire Cedris monſtroſis, pari modo creſcentibus, omnino ſimilem. Ratio etiam eſt in promptu: ſi enim eiusmodi arbores confertim naſcuntur, denſitas illarum impedit, quo minus rami inferiores incrementum capere queant: in cauſſa potius eſt, ut hi rami ſponte ſua, teſte experientia, areſcant & omne ſtirpis nutrimentum in caudicis augmentum impendatur; neque vero idem contingit, ſi harum arborum ſolitariarum rami inferiores ſtudio amputentur, (quod MILLERVS de Cedris duabus Chelſeanis adducit, quæ poſt talem purgationem vix dimidiam magnitudinem reliquarum adeptæ ſunt), quia vulneratus caudex multum nutriment ſui perdit, potiſſimum vero ob cicatrices vulnerum in cortice (per quem ſolummodo augmentum arboris ſuccedit) ſucci nutritii progreſſus turbatur. Quis autem probare poterit CELSII *Hierobot. p.* 125. ſententiam, hodie Cedros in Libano non reperiri niſi paucas rarasque, ergo nec illas, a mundo condito pronatas, ante SALOMONIS tempora & Saracenorum devaſtationes ibidem creviſſe copioſiores denſiusque conſitas? Vt autem omne dubium tollatur, numne Cedrorum iuniorum caudex aliter iam diſpoſitus ſit, quam in Pinu; denuo rogavimus Dn. EHRETVM, ut nobiscum etiam communicet delineationes aliquot earum variæ ætatis, id quod pro humanitate ſua etiam a. 1759. præſtitit, ex quibus adultiorem tab. LXI. ſiſtit, cuius habitum ad ductum duarum Cedrorum 20. circiter pedes altarum (quas in prædio Bulsdrode Ducis Vindelis Portland invenit) repræſentavit. Qui ergo huius Cedri habitum absque præiudicio conſiderat, inveniet, eius caudicem ab illo Pini nullatenus differre, &, ſi mutatur, id ex cauſſis tantum accidentalibus indicatis, forſan etiam ex aliis in libero äere iniuriis, contingere poſſe. Quod ad alterum argumentum attinet, certum eſt, Aeres Hebræorum, & Ers Arabum ſignificare Pinum; non minus autem certum eſt, iisdem vocibus etiam indicari Cedrum, quia non ſolum Arabum interpretes barbari ſupra citati, SILVATICVS & JANVENSIS, Arz interpretati ſunt Cedrum, verum etiam P. a. S. T. (Pater a S. Trinitate *Orientaliſche Reiſebeſchreibung Francof.* 1671. 8vo *L. III. c. 2. p.* 168. ut & GABR. BREMOND (*Viaggi fatti nell' Egitto ſuperiore & inferiore &c. Opera del Sign. GABRIELLE BREMOND, Pariſieſe, da lui ſcritta in franceſe &c. in Bologna* 1680. 8vo min. lib. II. c. XXIII. p. 317.) teſtantur, incolas hodie adhuc Cedrum vocare Ars, id quod etiam de voce Aeres, iisdem incolis non ignota, teſtatur SCHVLZIVS in Hiſtoria noſtra p. 19. ſub finem citatus. Inſuper amicus quidam Dn. G. W. BAVRENFEIND, Norimbergenſis (ſocius itineris litterarii, quod MONARCHA DANIÆ munificentia vere regia in orientales regiones, ad inveſtigandas res quoque naturales, easque præcipue, quæ nonnullis S. S. locis dubiis lucem quandam afferre queant, inſtitui haud ita pridem juſſit) in litteris Cairo d. 8. Julii 1762. datis ex ore Dn. Profeſſoris FORSSCAAL laudati itineris pariter Socii & Botanici, nos certiores fecit, extra dubium poſitum eſſe, Ers vel Arz, quod ſecundum Arabes Auctores uni tantum arborum generi proprium eſt, veram eſſe Salomonis Cedrum, quia huius nomen Hebraicum idem eſt, & affinitas linguæ Hebraicæ atque Arabicæ probat, hanc affinitatem haud eſſe accidentalem. Ex his patet, vocem Ers & Ars vel Arz minime eſſe nomen ſpecificum ſed genericum plurium arborum reſiniferarum ſeu coniferarum; hinc etiam CELSIVS *Hierobot. p.* 107. concedit, τὸ Ers Arabibus eſſe nomen generale. Neque abſonum erit, ſi vocem Germanicam Hartz, & Hartzbaeume (quæ pariter plures arbores reſiniferas comprehendunt) ab eadem voce Arz deducamus, & forſan rectius, quam a voce Germanica Hart (quæ ſilvam altam ſignificat) vel Græca ὕλη, ut docet IO. LEONH. FRISCH *Teutſch - Latein. Wœrterbuch, Berolin.* 1741. 4to voce Hartz: notum namque eſt, ſeculo præcipue XIII. ſtirpium nomina arabica in Germania quoque facta fuſſei notiora. *

Variam vocis Aeres ſignificationem ipſe CELSIVS *Hierobot. p.* 126. docet, dum ex BVXTORFIO adducit, Rabinos 20, Talmudicos vero 10. duntaxat numeraſſe Araſin ſpecies, cum quo conferatur HILLERVS *l. c. p.* 379. ubi refert, Rabinos ſeptem earum fingere ſpecies, additque, eos illis Pinum, Piceam, Abietem & Cupreſſum adnumerare, qui præterea p. 378. nomen Hebraicum Aeres & Arabicum Araza, vel Azara aut Arzon ab uno eodemque etymo derivat & docet, hoc nomen quamlibet denotare arborem coniferam. Nemini hinc mirum videbitur, S. Codicis interpretes LXX. nomen τοῦ Aeres æque ac Beroſch, reddidiſſe nunc Cupreſſum, nunc Pinum, Abietem, Juniperum, nunc ſolummodo lignum Libani, quæ loca ſingula indicavimus in noſtra hiſtoria ſæpius citata p. 19.

In genere notamus, veteres omnium nationum in determinanda vocum, præcipue rerum naturalium, certa ſignificatione, maxime fuiſſe incurios, unde etiam l. c. p. 28. aſſeruimus: ſtirpium hiſtoriam ex veterum monumentis ad noſtra usque tempora conſervatis petendam tam ieiunam & denſiſſima caligine involutam eſſe, ut verus nominum uſus atque ſignificatus adhucdum incognitus ſit, ſi pauca illa excipias, quibus aliqua ſaltem vel ipſius ſtirpis vel eius conſtantis characteris deſcriptio addita eſt. Quare etiam l. c. p. 20. monuimus: „ ſi „ ullibi Aeres de alia arbore, quam de Libani Cedro, ex„ plicari poteſt, id certe de illa EZECH. c. XXXI. nequit. „ Ibi enim Propheta, Pharaonis majeſtatem adumbrans, eam „ arboris cuiusdam (quam Aeres montis Libani v. 3. 8. vocat) „ præ reliquis excellentis imagine repræſentat, quacum nulla „ alia arbor, certe ex coniferis hucusque cognitis, ramorum „ copia, craſſitudine & inprimis longitudine, ut & frondium „ denſitate pulchritudineque, nec non umbra amœniſſima æque „ ac ampliſſima convenit, quam Libani Cedrus, quæ omnibus „ illis attributis l. c. v. 3- 8. decantatis uberrime reſpondet, „ cuius habitus recenſitus tam peculiaris eſt, ut ab omnibus „ ſtirpibus, ipſisque aliis coniferis, & ſigillatim a Beroſch „ (cuius rami illis τοῦ Aeres haud comparari poſſe l. c. v. 8. „ expreſſis verbis additur) absque ulla hæſitatione diſtingui „ queat. „ Si quis producere poterit Abietem vel Pinum cum illa deſcriptione in omnibus convenientem, ſententiam noſtram mutabimus. Licet ergo AVICENNA aliique Arabes Cedrum vocarint Serbin vel Scerbin, hoc nomen conſiderandum tantum eſt ut ſpecificum, quo illam ab aliis τοῦ Ers vel Aeres ſpeciebus diſtinxerunt: illo enim ævo haud inſolitum fuit, tum diverſas ſpecies diverſo charactere præditas uno comprehendere nomine generico, tum veras ſpecies unius generis diverſis ſignare nominibus. Ipſe ABVL FADLI (cuius hiſtoriæ Pini CELSIVS totam ſuam ſententiam novam & omnibus contradicentem ſuperſtruxit) interprete CELSIO *Hierobot. p.* 107. *ſeqq.* non ſolum docet, Arſan eſſe arborem Zanavbar eiusque tres eſſe ſpecies, marem nempe & feminam maiorem minoremque (ex quibus, ſecundum CELSIVM, mas eſt Pinus vulgaris ſeu Genevenſis; femina maior Pinus ſativa ſeu Italica; & femina minor Cembro Italorum) verum etiam addit, feminam minorem vocari quoque Tannub; cur ergo per Sherbin & Seerbin non etiam intelligi poteſt alia τοῦ Arſon ſpecies? Neque Hebræi & Arabes tantum hoc vitio obſcuritatis laborabant, ut unum idemque genus diverſo nomine, verum etiam ſpecies unius generis diverſis nominibus genericis deſignaverint, ſed etiam alii populi, imo ex his pariter illi, qui ſtirpium recenſioni ex profeſſo, ut aiunt, operam dederunt. Qui de his certior fieri cupit, vel ſaltem conſulat CASP. BAVHINI Pinacem, ubi in omnibus

* Ceterum de cognatione plurium vocum diverſiſſimarum linguarum conferri meretur OLAVI RVDBECKII fil. *ſpecimen uſus linguæ Gothicæ in eruendis atque illuſtrandis obſcuriſſimis quibusdam S. S. locis, addita analogia linguæ Gothicæ cum Sinica, nec non Finnonicæ cum Vngarica. Vpſaliæ* 1717. *in* 4to.

nibus fere paginis huius assertionis exempla inveniet & sigillatim observabit, non solum p. 490. Cedro coniferæ seu Libani hoc nomen datum esse, sed etiam p. 488. Thuyæ seu Arbori vitæ, stirpi peculiaris plane generis, & p. 487. stirpibus bacciferis, quas alii Oxycedri, aliique rectius Juniperi nomine distinxerunt; sic etiam alia Pini species dicebatur Pinaster, alia Picea, alia Mugo, aliaque Taeda *ibid.* Vt species eiusdem nominis generici distinguerent, sæpe eas sine sufficiente ratione in mares & feminas diviserunt, frequentius autem notam a patria vel loco natali desumtam petierunt. Hinc Cedrus conifera appellebatur quoque Cedrus Libani, Palestinæ, Syriæ; Cedrus baccifera vero Phœnicea & Lycia, quo epitheto LOBELIVS Thuyam quoque salutavit. De Pinu l. c. p. 491. pariter constat, eius species distinctas fuisse in urbanam, sativam, domesticam, Italicam, silvestrem, Genevensem, montanam, maritimam, Idæam &c. unde patet, sæpius laudati SCHVLZII distinctionem nostræ Hist. p. 23. in Aeres simpliciter ita dictam & Aeres Libani satis superque fundatam esse: videturque ℣ XXIX. v. 5. idem indicare, dum ibi legitur: vox Domini confringit Cedros, immo Dominus confringit Cedros Libani. Nemo sane ante CONR. GESNERVM & ANDREAM CAESALPINVM (qui sæculo XVI. vixerunt) de certis atque naturalibus generum æque ac specierum notis propriis cogitavit, & ne hos quidem mox alii secuti sunt, immo hoc sæculo demum statutum est: quemadmodum non convenit, stirpes, iisdem characteribus gaudentes, diversis signare nominibus genericis, ita etiam non convenire, stirpes characteribus differentes uno comprehendere nomine generico, quibus addendum, pro nominibus species distinguentibus nunc etiam certas regulas præscriptas esse.

Ceterum in hac controversia haud quæritur, an Æres Libani vocari possit Abies vel Pinus, sed quænam ea sit huius vel illius species, illa ipsa arbor, quæ a SALOMONE ad templi aliorumque palatiorum constructionem ex Libano petita fuerit? Eam esse Cedrum vulgo sic dictam, absque ambagibus probari nobis saltem videtur ex eo, quod ℣ Æres Libani SALOMO e regione alius territorii petierit & magnis sumtibus e longinquo afferri curaverit, quum tamen ℣ Aeres simpliciter sic dictum, seu Pinum, e proprio territorio vel saltem longe propius reperire potuisset: teste namque ipso CELSIO l. c. p. 125. 126. 127. & 132. non solum ubique, verum etiam in ipsa Judæa p. 127. 133. prostant pineta. Ad hoc argumentum sententiam novam tenentes respondere quidem possent, in monte Libano vetustiores & hinc grandiores tunc temporis reperiundas fuisse, quam in aliis regionibus: sed an hoc probari & ad hanc controversiam tollendam sufficere possit, aliis diiudicandum relinquimus. Spes est, peregrinatores illos Danicæ societatis supra laudatæ, aliquando hanc quoque controversiam observationibus suis soluturos esse.

Considerato fructificationis partium charactere, nemo negabit, Cedrum & Pinum (ad quam LINNÆVS *Gen. Plant. edit. V. n.* 956. & *Syst. Nat. edit. X. p.* 1274. Laricem & Abietem quoque retulit) iulorum seu florum stamineorum charactere omnino inter se penitus convenire; sed negandum est, in reliquis partibus nullam patere differentiam. Vt enim taceamus, foliorum dispositionem & coni figuram esse plane aliam, coni quoque structura notabiliter differt: in Cedro & Larice coni squamæ sunt tenues, simplices & planæ vel saltem parum excavatæ; in Pinu equidem etiam sunt simplices, sed crassæ & angulares; in Abiete alba & rubra vero sunt eæ iterum quidem tenues & planæ vel leviter excavatæ, sed duplices, quas differentias in *Actis Ac. Cæs.* & *nostra Cedrorum historia* figuris illustravimus. Solum ergo modo Cedrus & Larix foliorum dispositione & coni figura atque structura eadem gaudet. Hinc TOVRNEFORTIVS Cedrum Laricis generi adscripsit, nos vero putamus; si coniungandæ sint, Laricem rectius vocandam esse Cedrum, quia nomen hoc antiquius & magis celebratum est.

Quæ ad probandam nostram sententiam allatis superaddere possemus, reservamus auctiori D. V. nostræ Cedrorum Libani historiæ editioni vel supplemento, ubi etiam assertum nostrum de Pini vulgaris, vel confertim vel solitarie crescentis, habitu vario, figuris iam paratis illustrabimus, simulque demonstrabimus, & pariter figuris ad ipsam naturam factis probabimus, DAPPERI relationem (*Syriæ descr. edit. Bat. lingu. Amstel.* 1678. *p.* 45. *b.* & *Germ. lingu. ibid.* 1681. *p.* 38. *b.*) de Cedri Libani radicibus debilibus per terræ superficiem dispersis & plerumque nudis, intelligendam esse tantum de radicibus summis & lateralibus, non autem de inferioribus in profundum descendentibus (quas observare haud potuit) eodem plane modo, ac in Pinu & Abiete formatis, unde illud quoque CELSII argumentum, quod ex comparatione radicum harum arborum p. 116. & p. 118. formavit, robur suum amittit.

TAB. LXII. & LXIII.

MAGNOLIA foliis ovato-oblongis, ad basin & apicem angustis, utrimque virentibus.

Magnolia ampliſſimo flore albo, fructu coccineo *Catesb. Car. II. p. & t.* 80.

Magnolia foliis ovato-lanceolatis *Linn. H. Cliff.* 22. *Spec.* 536. *varietas.* δ.

Magnolia foliis lanceolatis, petalis exterioribus dependentibus *Linn. Syst. edit. X. T. II. p.* 1082.

Expos. Tab. LXII. α. α. α. petala tria exteriora, β. β. β. plura interiora, γ. fructificationis partes in situ.

Expos. Tab. LXIII. 1. 1. 1. 2. 2. Gemmæ involucrum, 3. 3. post huius involucri casum se manifestantia duo puncta elevata seu glandulæ petioli folii, 4. his punctis adhuc adhærens gemmæ involucrum, a folii petiolo solutum, 5. idem involucrum a petiolo separatum, 6. gemma nondum aperta, 7. floris alabastrus denudatus, 8.8. floris spatha, 9. spathæ adhæsionis vestigium, 10.10. puncta alba pedunculi floris, 11. floris alabastrus expansioni proximus, 12. 12. 12. floris petala tria exteriora calycem mentientia, *a.* ovarium seu pericarpium ovatæ figuræ cum *b. b.* staminibus & *c. c.* pistillis, *d.* stamen separatum a facie externa, *e.* a facie interna cum duabus antheris *f.* lateraliter adhærentibus, *g.* ovarium verticaliter dissectum, *h.* pistillorum axis, *i. i.* puncta seu vestigia staminum delapsorum, *k. k.* duo pistilla separata, *l. l.* eorum styli, *m.* germen transverse, *n.* verticaliter dissectum, *o. p. q.* eædem partes, ut *k. l. m. n.* lente optica auctæ, *r.* seminum seu baccarum rudimenta, *s.* fructus seu strobilus maturus cum baccis. Huius tabulæ expositio conferenda est cum ipsius D. EHRETI descriptione notæ sequenti inserta, in qua tamen quædam, ad floris seu eius gemmæ involucrum pertinentia, nobis videntur obscura, quæ aliter exponere non ausi sumus.

Nota. Arborem hanc, quæ speciosissimo flore superbit, floresque suos in Anglia d. 31. Maji 1760. primum curiosorum spectaculo exhibuit, Dn. EHRETVS invenit in Dn. IAC. GORDON, hortulani curiosissimi, horto in Mile End haud procul a Londino sito, cuius descriptionem cum floris fructusque partium expositione nobiscum communicavit hisce verbis latine redditis: Hæc arbor habitu suo ovatam figuram referens, inter 7. 8ve pedes alta, in immo 6. circiter digitos circumferentiæ crassa, totaque ab humo ad cacumen usque ramis instructa est, quorum 13. florigeri erant. Primus ramus, ad pedem supra humum egressus, unum proferebat florem, secundus septem, tertius tres, quartus iterum tres, quintus quatuor, sextus, septimus, octavus, nonus, decimus & undecimus, singuli unum, duodecimus duos, decimus tertius seu ultimus, ex latere cacuminis ortus, iterum unum, in summa 27. flores, omnes ramum terminantes. Rami vestiti sunt cortice ex bruno ruffescente, hinc inde albis punctis conspurcato. Lignum in ramis abscissis aromaticum spirat odorem saporemque habet Myrto non absimilem, & medulla gaudet magna albaque. Folia, quæ hieme cadunt, omnia ex ramorum proveniunt extremitate, variæ magnitudinis; maximorum quorundam longitudo quindecim & latitudo septem ferme superabat digitos. Eorum figura ex oblongo ovalis & petiolum versus angustior est; medium percurrit costa insignis, ex qua multæ egrediuntur venæ laterales, quarum in uno latere a petiolo usque ad apicem viginti sex numeravi: omnia folia hieme cadunt. Vt floris omniumque eius partium characterem observare & accuratis sistere potuissem figuris, bis intravi hunc hortum. Prima vice die 27. Maii 1760, quo tempore florum globi tantum apparebant. Sciendi cupidus, quomodo hi globi membrana exteriori seu gemmæ involucro vestiti sint, omnia hæc gemmæ involucra iam delapsa inveni, unico globo excepto, cuius gemma hoc tegmine adhuc tecta erat, quem *fig.* 1. repræsentat. Omnes reliqui rami, nullis florum globis præditi, tales offerebant gemmas, quales

fig. 2. oſtendit. Hæ, quando dehiſcunt, primum a petiolo tantum ſe ſeparant, & quando cadunt, in petiolo relinquunt duo puncta *fig.* 3. glandulis ferme ſimilia. *Figura* 4. repræſentat eiusmodi gemmam a petiolo ſolutam, ſed punctis adhuc adhærentem. *Figura* 5. oſtendit delapſam & *fig.* 6. nondum apertam gemmam. Hac gemma delapſa demum adparet ipſe floris alabaſtrus *fig.* 7. quem ambit involucrum ſeu ſpatha, quæ oblongo-ovatum folium refert, alabaſtro tumente ſe ſolvit, cadit & ferme gémmæ formam habet, uti *fig.* 8. docet. Hoc involucro delapſo, eius veſtigium *fig.* 9. reliquum manet. Omnes florum pedunculi albis punctis *fig.* 10. denſe congeſtis obſiti ſunt. *Figura* 11. repræſentat floris alabaſtrum perfectum & paullulum iam explicatum. Hi alabaſtri tribus gaudent petalis externis, quæ tripartitum quaſi conſtituunt calycem coloris ex rubente viridique mixto amœni: hæc petala non, ut docet D. LINNAEVS *Pl. Gen. n.* 610. (quam notam vero in *Syſt. Nat. ed. X. p.* 1082. omiſit) cadunt. His meas abrumpebam obſervationes & diſquiſitiones ulteriores usque ad d. 31. Maii, quo tempore hanc arborem denuo adii & duodecim penitus explicatos flores ſimul reperi, quorum unius imaginem mitto. (*vid. tab. LXII.*) In his floribus novem - duodecim & plura numeravi petala, a quibus calyx colore facile diſtingui poteſt (*vid. tab. LXIII.* 12.) Diameter perfecte expanſi floris novem, immo in nonnullis decem & undecim digitis reſpondet. Propius adſtanti interdiu afflant hi flores odorem gratum, qui veſpere ſuperveniente pedetentim augetur ita, ut ad viginti pedum diſtantiam fortiter perſentiretur: tunc temporis aura erat tranquilla, alias ulterius adhuc percipi potuiſſet. Odor ſimilis eſt magnæ copiæ Liliorum alborum.

Vt plenum huius floris characterem examinare potuiſſem, Dn. GORDON ramum florigerum abſcindebat, quem lætus domum portabam & ſequentia obſervabam. *Tab. LXIII. a.* repræſentat ovarium ſeu pericarpium ovale, floris medium occupans (*conf. tab. LXII. c.*) in quo octoginta ſtamina *b.b.* & quinquaginta piſtilla ſeu capſularum ſeminalium germina *c.c.* numerabam. Duo ſtamina ſeparata, unum *d.* a facie externa, alterum *e.* a facie interna, oſtendunt, & in hoc, antherarum loco, duos longos tractus laterales *f. f.* qui farinam ſeu pollinem continent. Ovario ſeu pericarpio *g.* a vertice ad baſin diſciſſo, omnia confundebantur ita, ut nihil diſtincte obtulerint, quare ſingula piſtilla ſeparabam ab axe *b.* qui axis coniformis eſt, ſuperius paullulum acuminatus. Inferiori eius parti, punctis *i. i.* ſignatæ, inſerta erant ſtamina, quæ omnia flore accreſcente cadunt; *k. k.* ſunt duo capſularum rudimenta ſeu piſtilla cum ſuis ſtylis *l. l.* & germinibus *m. m.* ſeparata; unum horum germinum *n.* ſuperius ad capſulæ initium transverſe, unumque *o.* perpendiculariter diſſectum depingitur. Sunt hæc germina non carnoſa, ſed interius cava, ſeminumque primordia *p.* adhærent eius parti ſuperiori, quorum quatuor diſtincta reperi. Multas pari modo examinavi eiusmodi capſulas, ut de ſeminum numero certus fierem, & ſemper inveni eundem. Has ipſas partes lente optica auctas ſiſtunt *q. r. s. t. v. x.* quibus antea expoſitæ clarius repræſentantur, uti etiam ſtylus aſſurgens & lateraliter reflexus, multis punctis ſeu globulis ſplendentibus & cryſtalli quaſi in modum pellucidis obſitus. His iungo, quando hæ capſulæ ſeminiferæ in latere ſtyli per capſulæ dorſum *t.* leniter deorſum diſſecantur, tegumentum earum facile extendi poſſe & quatuor ſeminum rudimenta perſpicue adparere. Fructum maturum ſeu ſtrobilum obtinere haud potui; repræſentat autem illum Dn. CATESBY in ſua hiſtoria, cui titulus: *the natural Hiſtory of Carolina, Florida and the Bahama Islands Vol. II. t.* 80.. Hactenus Dn. EHRETVS.

Haud incongruum erit, ex citato Dni CATESBY opere iungere hiſtoriam eiusdem ſtirpis, quam in eius patria ſeu loco natali *p.* 80. annotavit his verbis latine redditis:

Hæc arbor (Anglice Umbella Tree nominata) altitudine aſcendit ad ſedecim vel viginti pedes, cuius truncus raro 5. digitos craſſitudinis ſuæ diametro excedit; cortex albus eſt, lignum molle & ſpongioſum, folia plerumque triginta digitos longitudine & quinque circiter digitos in latitudinis medio æquant, circuli in modum ita diſpoſita, ut umbellam quandam repræſentent. Ex medio eiusmodi foliorum circuli provenit flos, qui eſt albus ex decem vel undecim petalis compoſitus, ex quibus tria exteriora ſunt pallide viridia, &, antequam flos explicatur, reliqua petala includunt; flore autem penitus explicato dependent modo, hic (*tab. noſtræ LXIII. fig. y.*) repræſentato unde LINNAEVS huius ſpeciei nomen formavit. Structura ovarii, capſularum ſeminalium &c. adeo conveniunt cum iisdem partibus Magnoliæ altiſſimæ, (*vid. noſtram tabulam XXXIII.*) ut mihi videantur figuræ taliter, qualiter hic (*tab. noſtræ LXIII. fig. z.*) ſiſtuntur, ſine prolixiori deſcriptione ſufficere, ad ideam inde formandam. In Virginia nullibi vidi plures, quam duas vel tres harum arborum in uno loco creſcentes; in Carolina autem frequentiores reperiuntur, in ſolo pinguiori (*in rich Land*) provenientes: adpropinquante hieme folia deiiciunt.

Qui Dn. EHRETI & CATESBY deſcriptiones & figuras inter ſe confert, deprehendit notabiles differentias in corticis colore, foliorum magnitudine, & floris petalorum trium exteriorum colore ſituque.

Vt hæc magis perſpicua fiant, Ehretianæ tabulæ LXIII. addimus figuram Catesbianam tum floris, tum fructus maturi ſeu ſtrobili: illius *fig. y.*, huius *fig. z.* cum baccis partim cellulis adhuc incluſis, partim ab illis ſolutis & ex filis ſuis pendentibus, de quo conferatur noſtræ *tabulæ XXXV. fig.* 2. & deſcriptio *p.* 9. illius ſpeciei, quam CATESBY ſuperius citat in ſua hiſtoria. Ehretiana floris figura *tab. LXII.* multum recedit a Catesbyana, ſecundum quam hæc ſtirps a LINNÆO *Syſt. Nat. edit. X. p.* 182. *D.* vocatur Magnolia foliis ovato-lanceolatis, petalis exterioribus dependentibus, & nomine triviali tripetala, quo nomine eam iam antea *Plant. Spec. p.* 536. inter Magnoliæ foliis ovato-lanceolatis varietates ϐ recenſuit.

Tertia hæc eſt Magnoliæ folio ovato lanceolato ſecundum LINNÆVM varietas (*conf. tab. ſuper. IX. & XXXIII.*) dummodo ſtirpes conſtantis characteris ſpecifici appellare decet varietates. Huius præterea folia oblongo-ovata & in utroque extremo paullulum tantum acuta ſunt.

TAB. LXIV.

MONARDA floribus capitatis & verticillatis, caule acute angulato, foliis lanceolato-ſerratis, glabris

Büttn. Enumer. Plantar. Horti Cun. p. 226.

Monarda floribus capitatis ſubdidynamis caule acutangulo *Linn. ſpec. p.* 22. *n.* 2. *Mill. G. Dict. Ed. VII.*

Monarda caule acutangulo capitulis terminalibus *Linn. H. Cliff.* 495.

Expoſ. a. Flos ſeparatus, *b.* eius calyx, *c.* corollæ tubus, *d.* limbus ringens, *e.* labium ſuperius integrum, anguſtatum, erectum, ſtamina & ſtylum obtegens, *f.* duo ſtamina, æqualia, corollæ tubo longiora, *g.* ſtylus longitudine ſtamina ſuperans, *h.* eius ſtigma bifurcatum, *i.* labium inferius reflexum, *k.* labium ſuperius ſeparatum, a facie interiore, ob latera revoluta concavum, in apice emarginatum, *l.* labium inferius ſeparatum & explanatum a facie interiore, trifidum, lacinia media longiore, anguſtiore in apice emarginata, laciniis lateralibus brevioribus latioribus & obtuſis, cum binis ſtaminibus tubo adhærentibus, *m.* ambo ſtamina a tubo ſeparata, cum antheris ſubdidymis ſibi invicem contiguis in magnitudine naturali, *n.* aucta, *o.* unum ſtamen cum antheris ſubdidymis, *p.* in magnitudine aucta, *q.* cum antheris iam hiantibus & pulverem ſeu ſemen explodentibus, *r.* calyx ſeparatus cum ſtylo ovario adhuc inſiſtente, *s.* idem calyx verticaliter diſſectus & explanatus, cum quinque denticulis ſuis, uno ſuperiori maiori, quatuor lateralibus minoribus, *t.* ovarium fundo calycis adhærens, *v.* ſtylus ſeparatus ab ovario, *x.* ovarium a calyce ſeparatum, *y.* quatuor ovarii ſemina, duo perfecta totidemque abortiva in magnitudine naturali, *z.* aucta, 1. transverſe diſſecta, 2. ſemen perfectum & maturum a facie exteriore, 3. interiore, 4. verticillus calycum perſiſtentium, 5. eiusmodi calyx ſeparatus.

Nota. Elegantiſſima hæc planta Virginiæ ſeu Americæ ſeptentrionalis indigena eſt, ubi incolæ foliis (quæ trita gratum reficientemque ſpirant odorem) utuntur loco Theæ, quam Osvvego Tea appellant, quo nomine vero etiam ſalutantur folia alterius ſpeciei, Origani Canadenſis nomine nota. Radix eſt perennis caulis annuus, ut MILLERVS *l. c.* docet. Laudatus BUTTNERVS in Catalogo citato indicat, cl. GRONOVIVM hanc plantam, ex Penſilvania acceptam, Europæ alumnam reddidiſſe, eamque in eius horto 1739. primum floruiſſe: quibus addit eundem Auctorem illam aliasque plurimas, quas nondum vidit curioſa Europa, in nova Floræ ſuæ editione deſcripturum eſſe; ſed altera Floræ Virginianæ editio Lugd. Bat. 1762. in 4to recuſa, non continet memorata, immo ne quidem inter Monardas huius & prioris editionis a. 1743. in 8vo

excuſæ occurrit nomen ſpecificum noſtræ conveniens. Poſt acceptam EHRETI picturam n. I. hanc ipſam plantam ex ſemine in libero äere educavimus, quæ autem floris colore inſigniter differrebat, quare huius partem adpingendam, ſimulque fructificationis partium ſtructuram addendam curavimus. Num color floris notabiliter diſtinctus climati an culturæ tantum adſcribendus, an conſtantis varietatis character ſit, aliis diiudicandum relinquimus. MILLERVS deſcribit flores coloris intenſe rubri, BVTTNERVS vero plantam ſplendidiſſima ſua purpura elegantem dicit, qui etiam Monardam flore albo, bracteis ex albo & viridi variis addit.

TAB. LXV.

SOPHORA foliis ternatis ſeſſilibus: foliolis ſubrotundis glabris *Linn. ſpec.* 373. *n.* 5. *Mill. Gard. D. ed. VII. Gronov. Floræ Virg. edit. alt. p.* 64.

Cytiſus foliis fere ſeſſilibus, calycibus ſquamula triplici auctis *Linn. H. Cliff. p.* 355. *n.* 4. *Clayt. & Gronov. Fl. Virg. Edit. I. p.* 82. *Miller. Gard. Dict. Ed. VI. n.* 23.

Cytiſus procumbens Americanus, flore luteo, ramoſiſſimus, qui Anil ſuppeditat *Pluk. Almag.* 129. *Phytogr. t.* 86. *fig.* 2. *Ehret. tab. I. & III. fig.* 3.

Expoſ. a. Flos integer ſeparatus cum calyce, *b.* vexillum, *c. c.* alæ, *d. d.* carinæ partes, *e.* calyx cum germine & ſtaminibus ſigillatim receptaculo inſertis, *f.* ſtamen ſeparatum, *g.* calyx cum germine aucto, ubi, uti in *fig. a.* & *e.* ad calycis fundum eius ſquamula triplex *b.* quodammodo indicatur.

Nota. Hæc eſt illa Cytiſi ſeu rectius Sophoræ (conf. tab. LIX.) in explicatione ſpecies, cuius ſupra t. LV. p. 26. mentionem fecimus. Brevem eius deſcriptionem dat laudatus MILLERVS *l. c.* his verbis latine redditis: Huius plantæ natale ſolum eſt Virginia & Penſilvania: ex utraque hac regione accepi eius ſemina. Ex eadem planta aliisque olim in America pararunt mercis illius, Indigo dictæ, ſpeciem vilem, antequam vera Indigofera planta ibidem introducta fuit. Radix eſt perennis, varios excludens caules pedem circiter altos, qui ramorum tenuium magnum numerum ſpargunt, quos inveſtiunt folia ex tribus lobis ovalibus glabrisque compoſita, petiolo coniuncta, uti alia trifoliata, arcte ramis adhærentia. Flores menſe Julio proveniunt in ramorum extremitatibus in brevi ſpica, (ſecundum EHRETI citatam & noſtram figuram potius laxe ſeu ſparſim diſpoſiti) ex genere papilionaceorum lutei, quibus ſæpe ſuccedunt ſiliquæ breves tumidæ, quæ æſtate fervida maturitatem adipiſcuntur in Anglia: rami ad radicem usque pereunt autumno. Plantam hanc genuinam Sophoræ eſſe ſpeciem, non ſolum teſtantur LINNÆVS atque MILLERVS itemque GRONOVIVS locis citatis, verum etiam noſtræ tabulæ figura *e.* id probat, cui EHRETVS illuſtrationis gratia hæc ſubſcripſit: „ diſtinguunt „ hanc plantam a congeneribus ſtamina, quæ omnia ad receptaculum libera ſunt.„ De hoc charactere generico peculiari conf. explicatio t. LIX. p. ſupe. 27. LINNÆVS H. Cliff. l. c. hanc plantam inter Cytiſi ſpecies recenſens plura collegit & exhibuit eius ſynonyma, quæ hic repetita forent ſupervacanea, idque adhuc magis, quoniam A. ipſe poſtea *Spec. p.* 739. *n.* 3. horum ſynonymorum plantas ſeparavit & ad Cytiſi ſpecies remiſit, noſtram vero *p.* 373. *n.* 5. Sophoræ ſpeciebus adſcripſit & nomina tantum ex PLVKNETIO, GRONOVIO atque EHRETO citata ut ſynonyma retinuit. His adhuc addimus, neminem ex his quoque citatis auctoribus deſcribere vel delineare ſiliquam per intercapedines tumidam, ſeu ad ſemina nodoſam, qualem tamen LINNÆVS *Gen. Plant. p.* 175. *n.* 456. inter Sophoræ characteres indicat & noſtra quoque tabula *LIX. fig. m. n. o.* repræſentat. PLVKNET ipſe ſiliquam, quam ſuæ figuræ iunxit, eadem figura & eadem tantum magnitudine delineat, quæ in noſtra apparet: ſed hoc fructus diſcrimen in ſyſtemate Linnæano, ſoli flori ſuperſtructo, genus non mutat. D. GRIFFIT HVGHES in ſua hiſtoria naturali inſulæ Barbadæ (*Natural Hiſtory of Barbados Lond.* 1750. *fol.*) huius plantæ nullam facit mentionem, ſed *p.* 203. tantum indicat the Indigo-Weed (Weed denotat Anglis plantam ſilveſtrem & Zizaniam) quam vero non deſcribit nec delineat, cuius rationem dat his propemodum verbis: in huius inſulæ mercaturæ infantia merx indigo, ex hac herba parata, uſu venibat; ſed poſtquam ſacchari mercatura reddebatur quæſtuoſior & vicini noſtri Galli, mercem Indigo viliori pretio divendebant, hæc mercaturæ pars abolita fuit, quare e quadraginta circiter retro annis indigo hic locorum non amplius præparabatur, hinc neceſſum haud duxi, hanc plantam & mercis inde parandæ methodum deſcribere. Hoc confirmat CLAYTON. *l. c.* hac nota: „ tentarunt, ex hac planta ſmegma Indigo dictum confice„ re, verum ſucceſſus minime reſpondebat. „ Addit præterea hoc ſynonymum: „ Spartio affinis trifoliata ramoſa, „ foliis parvis ſubrotundis glaucis: flore flavo; „ caulibus glabris lentis flaveſcentibus, ad finem „ foliis deſtitutis; ſiliqua brevi tumida, duo vel „ tria ſemina reniformia continente; radice „ perenni, vere turiones Aſparagi inſtar emit„ tente. „

TAB. LXVI.

RHODODENDRVM foliis nitidis ovalibus, margine acuto reflexo *Linn. Spec.* 392. *n.* 3.

Ledum lauro-ceraſi folio *Eiusd. Amœnit. Acad. II.* 200.

Chamærhododendron, Lauri folio, ſempervirens, floribus bullatis corymboſis *Catesb. Car. III. p.* 17. *t.* 17. *f.* 2.

Expoſ. a. Perianthium quinquepartitum, quod in hac imagine non, niſi aliqua ex parte in alabaſtris ſeu floribus nondum apertis, in conſpectum venit, ſigillatim vero non repræſentatum eſt, *b.* floris corolla, penitus expanſa, monopetala limbo patente, in quinque ſegmenta rotundata diviſa, *c. c. c. c. c.* ſtamina decem corollæ ſegmentis breviora, ad ſingula corollæ ſegmenta bina, cum filamentis filiformibus lateraliter inflexis & antheris ovalibus filamentis inſiſtentibus, *d.* piſtilli germen orbiculatum retuſum cum ſtylo filiformi, pariter inflexo, ſtaminibus paullulum breviore & ſtigmate *e.* globoſo obtuſo, *f.* capſula ſeminalis ovata, ſubangulata cum ſtylo & perianthio perſiſtentibus, *g.* eadem transverſe ſecta, quinque locularis, *h.* ſemina numeroſa minima.

Nota. Elegantem & ferme eandem huius ſtirpis florentis imaginem iam exhibuit CATESBY *l. c.* in noſtra tamen omnes partes, præcipue capſulæ ſeminalis, maiori cura repræſentatæ ſunt. Deſcriptionem huius ſtirpis ille addidit ſequentibus verbis latine redditis: Arbor hæc ad ſedecim circiter pedes aſcendit, folia producens ſemper virentia, figura illis Lauro-ceraſi ſimilia profunde viridia atque ſplendentia. Flores proveniunt in corymbos ſeu faſciculos collecti, quorum nodi ſeu gemmæ, autumno comparentes, teguntur perianthio (potius involucro) ſquamoſo-conico, materia repleto viſcoſa, quæ illud defendit contra ſeverum hiemis frigus. Verno tempore ampliatæ hæ gemmæ dehiſcunt & excludunt viginti pluresque flores monopetalos in quinque ſegmenta diviſos, ſingulos pediculo dimidium pollicem longo inſiſtentes. Hi flores explicati apparent albi, propius autem conſiderati pallide rubent, qui color in floribus cadentibus magis adhuc pallet. Vnum ex quinque his ſegmentis ſeu petalis longius & magis concavum eſt reliquis & ex maculis flaventibus, viridiſcentibus & purpuraſcentibus mixtis varium, quæ maculæ formantur a materia quadam viſcoſa ſuper extremitatibus tenuiſſimorum pilorum expanſa. Convexa facies eorundem petalorum etiam mixta eſt colore ex viridi flaveſcente. Piſtillum ſurgit ex floris centro, capitulo ſcarlatino ornatum & decem ſtaminibus circumdatum, quorum tria longiora, ſeptem breviora ſunt, quorumque farina exit ex apertura parva rotunda in eorum ſummitate. Elegans hæc arbor ornamentum eſt regionum maxime occidentalium & a Penſilvania remotiſſimarum, & creſcit in ſolo valde ſterili, vel in declivitatibus rupium montiumque ut & ad rivorum littora, in locis maxime umbroſis. Plures eiusmodi arbores iuniores ex Penſilvania miſſæ ſunt a D. BARTRAM, qui illas primus detexit; ſed nulla earum flores produxit, &, licet ab aliquot iam annis plantatæ fuerint, exiguum tamen ceperunt augmentum, videnturque ſolæ ex ſtirpibus Americanis, quæ noſtro ſolo climatique adſueſcere recuſant.

Hinc procul dubio MILLERVS hanc ſpeciem in Dictionarii ſui editione VII. penitus omiſit. In ſexta quidem n. 5. recenſet Chamærhododendron Americanum ſemper virens,

virens, floribus dilute carneis, purpureis maculis notatis: ſed plura non addit, quam quod huius ſpeciei aliquot plantæ nunc creſcant in horto Ducis ARGYLL in *Whitton* prope *Hounslow*.

TAB. LXVII.

PETIVERIA *Linn. H. Cliff.* 141. *H. Vpſ.* 91. *Actor. Stockholm.* 1744 *p.* 287. *t.* 7. *Mill. G. D. Ed. VI. & VII. Burmann in expoſ. icon. Plumenianar. p.* 213. *Hill Hiſtory of Plants p.* 393.

Petiveria foliis oblongo-ovatis, ſpicis longioribus terminalibus *Browne civil and natural Hiſtory of Jamaica p.* 274.

Petiveria Solani foliis, loculis ſpinoſis *Plum. gen.* 50. *Icon. a Burm. edit. p.* 213.

Verbenæ aut Scorodoniæ affinis anomala, flore albido, calyce aſpero, Allii odore *Sloan. Cat. Jamaic.* 64. *Itiner. I. p.* 172. *Rai. Suppl.* 287.

Expoſ. *a.* Flos perianthio adhuc incluſus, *b.* explicatus, uterque in magnitudine naturali, *c.* in magnitudine aucta a facie interiore, *d.* exteriore & laterali *e. e. e.* calyx ſeu perianthium. *f. f. f. f. f. f. f. f. f.* petala non caduca ſed perſiſtentia, *g. g. g.* ſtamina ſex cum ſuis antheris ſimplicibus, *h.* petalum ſeparatum cum duobus ſtaminibus adhærentibus, *i.* piſtillum ſeu potius eius germen, *k.* fructus a corolla ſeparatus in ſtatu mox poſt floris explicationem, *l.* fructus maturior, *m. n.* maturus uterque in magnitudine naturali, *o.* aucta cum capſulæ ſeu involucri cornibus hamatis, *o.* fructus maturus, unicum continens ſemen, *p.* ſemen denudatum compreſſum in ſummitate emarginatum, *q.* ſeminis nucleus denudatus.

Nota. Planta hæc vilis, neque ob venuſtatem neque ob uſum ſingularem commendata, locum in hac collectione tantum obtinuit ob raritatem ſuam & characterem peculiarem. In India occidentali quidem, præcipue in Iamaicæ & Barbatæ inſularum regionibus, valde communis, immo zizaniæ inſtar moleſta eſt; in Europa vero non, niſi in curioſorum botanophilorum hortis culta reperitur. Totius plantæ deſcriptionem dedit SLOANE *Hiſt. ſeu Itin. I. p.* 172. quam RAIVS latine redditam ſuæ *plantar. hiſtoriæ Supplemento* ſeu *tomo III.* inſeruit, LINNAEVS vero hinc inde emendavit in Hort. Cliff. & Vpſal. item in Actis Stockh. de quibus Actis notamus, eadem ex Suecica lingua in Germanicam ab ABRAH. GOTTH. KAESTNERO verſa proſtare hoc titulo: *der Kœniglich. Schwediſch. Academie der Wiſſenſchaften Handlungen &c.* ubi Vol. VI. p. 289. ſeqq. & t. IX. reperiuntur, quæ de hac planta agunt. Cum horum auctorum deſcriptione conferri poſſunt MILLERVS, BVRMANNVS, BROWNE, HILL. locis citatis. Docent hi, omnes huius plantæ partes validum & ingratum Allii odorem ſpirare, ipſam plantam perennare & ſemper virere, immo tempeſtatum ſiccitati adeo reſiſtere, ut, quando aliæ plantæ a ſolis fervore comburuntur, hæc vegeta perſiſtat, unde beſtiæ, alio pabulo deficiente, ea veſci coguntur, quæ vero illarum carnes, & vaccarum lac, tam ingrato fœtenteque odore inficit, ut ad uſum culinarem plane inſervire nequeant. Hinc, quia eius qualitates ad intimas animantium partes penetrant, LINNAEVS ſuſpicatur, ex hac planta parari poſſe remedium penetrantiſſimum; ſed BROWNE obſervatio monet, cautiſſime eius uſu procedendum eſſe: annotat enim l. c. omnium eius partium minimam particulam maſticatam, os tanto ardore afficere, ut lingua inde nigra, arida aſperaque reddatur eodem modo, quo in febribus malignis adparet. Figuram foliorum atque ramorum, tum florigerorum tum ſeminiferorum, publicavit BVRMANNVS inter icones Plumerianas tab. CCXIX. eædem vero partes maiori cura delineatæ ſiſtuntur in *Actor. Stockh. tabula* IX. citata, nemo autem, quantum ſcimus, easdem vivis coloribus illuſtratas repræſentavit. Characterem primus notavit & nomen genericum adſtruxit PLVMIER *novor. generum plantar. Americanar. p.* 50. *t.* 39. ſed imperfecte; accuratius autem illum definivit LINNAEVS *Gen. pl. n.* 417. & emendatum *in Actis Stockh. l. c.* ubi etiam ſingulas partes, characterem formantes, exhibuit delineatas, ex quibus *figurar.* noſtras *i. k. l. n. o.* mutuavimus, ab ipſo EHRETO (ut in earum explicatione ibidem notatur) delineatas, in noſtra vero imagine omiſſas: conferri meretur characteris definitio MILLERI, atque BVRMANNI. Characterem BROWNE l. c. his verbis (quæ, quum hoc opus non omnium verſatur in manibus, transſcribere haud ſupervacaneum duximus) indicavit: „ Perianthium: Perianthii ſeſſilis vicem „ ſupplent ſquamæ tres, lineares, erectopatentes, laterales. „ Corolla: ſquamas inter & ſpicam emergit flos tetrapetalus, perſiſtens: petalis lanceolatis, anguſtis, iuventute albidis, erecto-patentibus, ſenectute erectis, virentibus. „ Stamina: *filamenta* ſex, quorum duo ceteris breviora ſunt „ & oppoſita; *Antheræ* ſubrotundæ. Piſtillum: *germen* „ ſubhirſutum, breve, obtuſum; *ſtyli* quatuor, tenues, ſetacei, „ reflexi, *ſtigmata* acutiſſima. Pericarpium: *capſula* coriacea, oblonga, obtuſa, compreſſa, unilocularis, bicornis; „ ſingulis ſetis binis, rigidis, reflexis, munitis. Semen: „ unicum oblongum, ad apicem appendicula ligulata reflexa „ inſtructum. „ Ceterum nec harum partium, nec ipſius plantæ iconem addidit. Præter fructificationis partes depictas & deſcriptas citati auctores indicant quoque germinis ſtylos quatuor. LINNAEVS *Gen. pl.* l. c. deſcribit illos ſubulatos, in linea recta poſitos, ſtigmatibus perſiſtentibus præditos; & in *Syſt. N. ed. X. n.* 417. recenſet Petiveriam inter hexandrias tetragynias, ſemine uncio apice aculeis reflexis, & in *Act. Stockh. l. c.* ex propria obſervatione definit piſtilli germen rotundum piloſum quatuor ſtylis inſtructum, & pericarpium appellat capſulam inferius anguſtiorem oblongam, ad latera burſæ paſtoris inſtar compreſſam, intus cavam & in ſummitate quatuor uncos reflexos exhibentem; hi autem ſtyli uncique, quoad differentiam & figuram accuratiore diſtinctione, deſcriptione delineationeque adhuc egent, (dicuntur namque apices, & perianthii & ſtylorum, reflexi, piloſi præterea germinis atque ſtylorum exiguorum delineatio in magnitudine aucta multum lucis adfuſura eſſet) quod nos præſtare haud poſſumus, quia floris vivi examinandi occaſio nobis nondum contigit. JACQVIN in ſua nuperrime edita *ſelectarum ſtirpium Americanar. hiſtoria p.* 101. his verbis indicat „ Petiveriam (octondram) floribus octandris: Planta fruticoſa, tripedalis, odoris alliacei, Petiveriæ alliaceæ, nunc in „ hortis botanicis ſatis vulgari, adeo ſimilis, ut nihil, quod addam, habeam; ſinon, eſſe flores octandros omnes ſtaminibus „ inæqualibus; & corpus penicilliforme, quod germini adſidet, „ in hac eſſe rubrum, in alia album. Habitat frequens in Martinica aliisque Caribæis. Floret fere integrum annum. „ Figuram non exhibuit.

TAB. LXVIII.

LYCIVM, foliis oblongo-lanceolatis, ſine ordine, floribus ſolitariis petentibus alaribus ramorum ſpinis rarioribus.

Expoſ. *a. a. a.* corolla explicata patens, *b.* calyx bifidus ſeparatus cum quinque denticulis, uno maiore, & quatuor lateralibus minoribus, cui inhæret ſtylus, *c.* corolla a calyce ſeparata a facie interna longitudinaliter diſſecta, *d. d. d.* corollæ tubus brevis, *e. e. e. e. e.* quinque corollæ ſegmenta, ſingula ungue albo notata, *f. f. f. f. f.* quinque ſtamina cum ſuis filamentis tubo adnatis atque antheris, *g.* germen in fundo tubi ſitum, *h.* ſtylus ſimplex corolla longior cum ſtigmate globoſo, *i.* corolla a facie externa, *k.* ſtamen cum ſua anthera didyma in magnitudine aucta, *l.* idem ſtamen cum anthera biloculari transverſe diſſecta, *m.* germen, *n.* ſtylus & *o.* ſtigma in magnitudine aucta, *p.* germen maturius transverſe, *q.* longitudinaliter diſſectum, *r.* ſeminis reniformis rudimentum, ſingula in magnitudine aucta.

Nota. Duas Lycii ſpecies iam tabula XXIV. ſuperiore expoſuimus, quarum character conferri poteſt. Huius ſpeciei imagini EHRETVS ſubſcripſit: Lycium. *Linn. Gen.* Iasminoides Sinenſe Halimi folio & facie *Act. Pariſ.* & ſequentem iunxit deſcriptionem. Inveni apud DV HAMEL *Arb. p.* 306. figuram, quæ cum hac valde convenit, & Dn. MILLERVS deſcribit etiam in ſeptima ſui Dictionarii editione quandam ſpeciem, quam Lycium foliis ovato-lanceolatis, ramis diffuſis, floribus ſolitariis patentibus alaribus, ſtylo longiore vocat. Deſcriptio ſua de huius ſtirpis creſcendi modo bona eſt: id tantum adnoto, hanc, quam ego ſiſto, in ramis hinc inde, rarius tamen, aculeis munitam & folia meæ ſpeciei, in ſtirpe adhuc tenera, altero tanto maiora eſſe, quam ea, quæ mea imago repræſentat: folia namque tunc, quando rami flores producunt, minora evadunt. Flores huius ſtirpis amœniſſimo colore purpureo ſuperbiunt, & in eorum centro adparet ſtella candida pentagona; *fig. a. c*, a facie externa vero *fig. i.* corolla pallide rubet & ſplendet. Calyx monophyllus & bifidus eſt, ad oras in unum ſegmentum maius & duo minora diviſus *vid. fig. b. Figura c.* monſtrat corollam apertam & expanſam, cum quinque ſtaminibus tubi late-

lateribus adcretis. Staminum filamenta omnia ad baſin ſuam villis denſe obſita ſunt, *vid. fig.* k. *l. in magnitudine aucta.* Germen ſeu Pericarpium *fig. m. p. q.* in magnitudine aucta repræſentatum, ſubrotundum & biloculare *fig. p.* eſt, multaque continet ſemina reniformia *r.*

Recenſetur a DV HAMEL l. c. (*Traité des arbres & arbuſtes Tome I. p.* 306. *n.* 3. Iasminoides Sinenſe Halimi folio & facie *Act. Acad. R. Pariſ.* & *n.* 4. Iasminoides Sinenſe Halimi folio longiore & anguſtiore, & *tab.* 121. utriusque addit figuram ligno exciſam, quarum prior eadem eſt, quæ in Act. Pariſ. *l. c.* occurrit, floris fructusque vero partes delineatæ ſunt a ſiniſtris peculiaris tabulæ æneæ parvæ, fronti huius generis præfixæ, quas ſuo Lycio Sinenſi n. 3. (ut explicatio huius tabulæ p. 305. docet) tribuit, cuius nomen in Actis Pariſ. citatis, ad annum usque 1757. evolutis, invenire haud potuimus. Num huius A. quartæ ſpeciei nomen & icon alibi proſtet, nos pariter latet: eius figura, quam citata t. 121. a ſiniſtris eiusdemque floris & fructus partes in frontiſpicii tabula ænea a dextris ſigillatim delineat, multum a priori differt, neque vero cum illis noſtræ tabulæ convenit: folia namque multo anguſtiora & vere lanceolata ſunt; corollæ limbus quidem patet, ſed tubus multo longior eſt, præcipue autem calyx delineatur & deſcribitur tantum bifidus, fructus itemque delineatur cylindrico - conicus & ſemina rotundiora. In Actis Pariſ. (*Hiſtoire de l'Acad. Roy. des Sc.*) *année VIII. edit. Pariſ. p.* 318. indicatur Iasminoides Africanum Iasmini aculeati foliis & facie, quibus additur: an Rhamnus alter fol. ſalſis flore purpureo *C. B. Pin.* 477. Rhamni prioris altera ſpecies *Cluſ.* cuius figuram ſiſtit tabula 12. cum omnibus floris fructusque partibus ſeparatis & ſigillatim repræſentatis in magnitudine maiori, quarum explicatio reperitur p. 317. Hæ icones omnes ab illis noſtræ tabulæ multum differunt & ſimiliores ſunt iſtis, quas noſtra tabula *XXIV. fig.* 2. repræſentat, ſi excipias baccam, quæ in noſtris tabulis ſimplex, in Actis citatis gemina adparet. Eam Lycii ſpeciem, ſupra ex MILLERI Dictionario citatam, laudatus A. Ed. VII. n. s. indicat & his deſcribit verbis latine redditis: hæc ſpecies ſponte ſua creſcit in China, unde eius ſemina haud pridem in Angliam venerunt, plantæ vero ex illis educatæ nunc in variis hortis coluntur, quas nonnulli agnoverunt pro Thea. Creſcit ad magnam altitudinem infirmis, irregularibus, diffuſisque ramis, qui fulcimento opus habent, ſine quo ſuper humo repunt; menſuravi aliquot horum ramorum, qui uno anno ad duodecim circiter pedes longitudine pervenerunt. Infima folia longitudine quatuor digitos ſuperant & in medio tres digitos lata ſunt, læte viridia & teneræ conſiſtentiæ, ſituata ſine ordine ubique in ramis; dum ſurculi longitudine augentur, magnitudo foliorum diminuitur & ſuperiorem partem verſus unum digitum longitudine & quartam eius partem latitudine non excedunt, ramisque ubique arcte adhærent. Flores proveniunt ſolitarii ex omnibus iuncturis in ſuperioribus ramorum partibus, exilibus brevibusque pedunculis inſiſtentes; ſunt coloris ſaturate purpurei & brevi gaudent tubo, limbus patens latius ſe expandit, quam in omnibus antecedentibus (ſcilicet quas A. recenſet) ſpeciebus, & ſtylus multo longior eſt floris tubo. Floret hæc ſpecies menſe Auguſto, Septembri & Octobri. Durabilis eſt hæc ſtirps & folia ſua retinet usque in menſem Novembrem. Facile propagatur radicibus ſuis ſerpentibus, quæ in magna diſtantia ſpargunt turiones & reſectæ ſtirpis partes ſub terra tam facile emittunt radices, quam illæ Salicis. In hac deſcriptione ſpinarum ſeu aculeorum nulla fit mentio.

Ex his inter ſe collatis liquet, noſtram plantam, ſi non pro ſpecie, peculiari pro varietate tamen agnoſcendam eſſe: nam a Milleriana differt ſpinis, & a Pariſina foliis, quæ in illa ſecundum Actor. Gallic. & du HAMEL figuram ſunt valde anguſta, qualia pariter ſe ſiſtunt in utraque figura noſtræ tabulæ XXIV. Ceterum, quum nullam deſcriptionem iconemve cum hac noſtra ſtirpe accurate convenientem invenimus, ſynonyma addere haud potuimus.

TAB. LXIX. & LXX.

LAVRVS foliis integris trilobisque *Linn. H. Cliff.* 154. *n.* 1. *Mat. med.* 65. *n.* 193. *Spec. I.* 371. *n.* 10. *Syſt. N. ed. X. p.* 1010. *n.* 10. *Gron. Fl. Virg.* 46. *Ed. II.* 62. *Roy. Lugd. B.* 227. *n.* 6. *Wachend.* 259. *n.* 7. *Colden. Noveb. ſeu Act. Vpſal.* 1743. *p.* 119. *n.* 94. *Mill. Gard. Dict. ed. VI. n.* 11. *ed. VII. n.* 10. *du Hamel Arb. I.* 350.

Laurus flore a fructu remoto in eadem planta, foliis integris & trilobis *Kram.* 141.

Cornus odorata folio trifido, margine plano, Saſſafras dicta *Pluk. Almag.* 120. *Catesb. Car. I. p.* & *t.* 55. *Mill. G. Dict. ed. III -- V.*

Saſſafras *Monard. ſimpl. med. p. m.* 355. *Rai. Hiſt. II.* 1568. *Ger.* 1525. *Park.* 1607. *Cæſalp. p.* 59. *Herm. H. L. B.* 537.

Saſſafras arbor Monardi *Dalech. H. Lugd.* 178. *b. Pluk. Phytogr. t.* 222. *fig.* 6.

Saſſafras arbor ex Florida ficulneo folio *Bauh. Pin.* 431. *b. Munt. Aardgew. p.* 110. *fig.* 110.

Saſſafras ſive *lignum Pavanum Bauh. Hiſt. I.* 483.

Saſſafras, Saſſepes & Saſſifragia *Jonſt. Dendr. p.* 218.

Saxafras *Pomet. Hiſt. gen. des drogu.* 110.

Xylomarathrum *Zorn. Botanolog. p.* 608.

Pavame Indorum Saſſafras Gallorum *Monard. l. c.* 356. & Palameh Floridanorum *Collect. Itinerum edit. Germ. Vol. XV. p.* 21.

Palame Floridanorum *Charlevoix Hiſt. de la Nouv. France T. I. p.* 29.

Anhuypitanga & Anhuiba ſeu Saſſafras maior *Piſ.* 146. Winauk *C. B. pin.* 431. *b.* Winauk Virginienſibus *Jonſt.* 218. & Winanke *Parkinſ.* 1606.

Expoſ. Tab. LXIX. repræſentat arbuſculæ vel fruticis huius habitum omnem, & a latere in magnitudine naturali *a.* folium integrum *b.* bilobatum & *c.* trilobatum.

Tab. LXX. ſiſtit in magnitudine naturali ramulum florentem, flores & fructus. *a. a. a.* eſt folium integrum a facie ſuperiore, *b. b.* inferiore, *c. c. c.* folium trifidum a facie ſuperiore, *d. d.* inferiore, *e. e. e. e.* ſquamæ ſeu ſtipulæ gemmæ floriferæ, *f. f. f.* foliolum lineare, *g.* flos maſculinus ſeu ſtamineus cum ſex petalis ſeu potius corollæ ſegmentis & novem ſtaminibus, *h.* eiusmodi flos cum totidem ſegmentis atque ſtaminibus & præterea cum ſtylo *i.* & ſtigmate vario ſed ſine germine, *k.* idem ſtylus (an potius ſtamen monſtroſum) a flore ſeparatus, *l.* novem ſtamina a corolla ſeparata, *m.* duo ſtamina ſeparata cum ſuis antheris ab utraque facie, *n. n. o.* glandulæ filamentis ſtaminum adnatæ, *p.* ejusmodi glandula ſeparata, *q.* alia glandula cum brevi filamento proprio, *r.* flos femininus ſeu piſtillatus a tergo, cum pedunculo ſuo proprio, *s.* idem a facie anteriore cum quinque ſegmentis, totidem ſtaminibus & piſtillo perfecto, *t.* eiusmodi flos cum ſex ſegmentis, totidem ſtaminibus, glandulis & piſtillo perfecto, *v.* piſtillum ſeparatum cum germine, ſtylo & ſtigmate, *x.* glandula ſeparata cum brevi filamento proprio, *y.* racemus pedunculorum cum fructibus maturis recentibus, *z.* cum fructibus ſiccatis, 1. 1. bacca recens, 2. 2. eius calyx ſeu cupula, 3. cupula ſiccata, 4. talis a bacca ſeparata a facie laterali, 5. a facie interna cava baccam excipiente, 6. bacca ſiccata ſeparata, 7. eius nux, 8. nucis putamen dimidium a facie interna cum nucleo, 9. a nucleo liberatum, 10. nucleus ſeparatus.

Nota. Obſervatio de arboribus Saſſafras dictis Londini cultis earumque floris charactere, quam Dn. EHRETVS cum Academia Cæſarea N. C. communicavit, quamque hæc in Novor. Actor. ſuorum Tomo II. Nro LXXXII. p. 326. publicavit, occaſionem nobis dedit, non ſolum in ſcholio ibid. p. 327. addito illa iungendi, quæ in ſiccis foliis novellis floribusque huius ſtirpis ex patria ſua allatis ipſi notavimus, verum etiam conſcribendi eiusdem ſtirpis præſtantiſſimæ æque, ac in Europa rariſſimæ, hiſtoriam generalem, ex obſervationibus plurimorum auctorum diſperſis collectam, quæ eiusdem Tomi appendici p. 281 -- 317. eiusque epitome p. 318. inſertæ ſunt; ex quibus

bus potiora iisdem pene verbis hic repetimus, & figuris coloratis illuſtramus; ceterum illos, qui plura ſcire deſiderant, ad Acta citata ablegamus.

Stirps hæc indigena eſt plerarumque Americæ meridionalis æque ac ſeptentrionalis regionum: e. gr. Floridæ, (ubi integræ eius ſilvæ) Braſiliæ, Canadæ, Carolinæ, Virginiæ, & valde copioſe Novæ Franciæ, Luiſianæ, Penſilvaniæ, Novæ Jerſey, Novæ Georgiæ & Coldenhamiæ in provincia Novebaracenſi. Creſcit in locis maritimis & ſolum amat macrum ſabuloſumque, parum humidum.

Europæis illam primus circa annum 1569. notam fecit MONARDVS, Hiſpalenſis medicus, cuius ſimplicium medicamentorum ex novo orbe delatorum, quorum in medicina uſus eſt, hiſtoriam ex Hiſpanico ſermone in latinum transtulit CAROLVS CLVSIVS, Antvverpiæ variis annis & formis editam (*vid. Act. cit. p.* 281. *ſequ.*) MONARDVS etiam huius ſtirpis deſcriptionem & iconem, ſed utramque imperfectam, publicavit & docuit, Floridæ Inſulæ incolis antiquitus notum fuiſſe huius arboris ligni uſum medicum, ab iisdem eundem etiam didiciſſe Gallos & poſtea ab his Hiſpanos, qui deinde idem lignum, ut mercem quæſtuoſam, in Europam transferre cœperunt. Curioſitatis gratia hanc ipſam ſtirpem in Europa Græningæ 1655. primus, quantum ſcimus, colùit ſed mox iterum perdidit MVNTINGVS, nunc autem in variis hortis Angliæ ad floris usque perfectionem colitur, & quidem tam copioſe, ut Dn. EHRETVS in ſolo horto Dn. GORDONI, hortulani curioſiſſimi doctique, ultra quinquaginta invenerit; nulla autem harum arborum in Anglia cultarum hucusque fructum perfecit.

Deſcriptionem & figuram, quam MONARDVS tradidit, ſolummodo repetierunt auctores, qui poſt eum huius arboris mentionem fecerunt, quare eius, per ſesquiſeculum ferme ob uſus egregios iam celebratæ, hiſtoria parum emendata fuit, ſi excipias C. BAVHINVM, de LAET, PARKINSONVM, P. HERMANNVM, IONSTONVM & PLVKENETVM, qui ſinguli vel quædam de floris figura atque ſtructura indicarunt, vel foliorum figuram accuratius delinearunt, quæ additamenta ſingula in Actis ſæpius citatis app. p. 300. ſigillatim indicavimus. Tandem a. 1737. Dn. HENR. CATESBY l. c. perfectiores omnium huius ſtirpis partium deſcriptiones & figuræ, vivis coloribus illuſtratæ, in publicum prodierunt.

In variam magnitudinem creſcit hæc ſtirps, ſine dubio pro climatis ſolique diverſitate. Magna fit arbor in Florida, Virginia & Canada, unico trunco nudo Pini mediocris forma aſcendens ramosque in cacumine expandens. Reperiuntur tamen in ipſa Florida etiam minores, ut MONARDVS ipſe monuit, quid? quod MILLERVS affirmavit, eam fruticibus potius eſſe accenſendam, quo pari modo EHRETI figura (*tab. LXIX.*) eam, & quidem duplici caudice atque præterea ab imo ad ſummitatem ferme ramis inſtructo, delineat, quorum uterque duodecim tantum pedes altus erat & craſſior duodecim digitos circumferentia ſua explebat (*vid. eius obſ. cit. p.* 326.) Ne quis autem cogitet, hanc ſtirpem extra patriam tantum manere nanam, CHARLEVOIX (*Hiſtoire de la nouvelle France T. II. P.* 2. *p.* 9.) aſſerit, hanc ſtirpem non valde altam eſſe, eamque nunquam ſupra radicem diametro pedem ſuperare, fruticem potius tantum manere, ſeque ad littora fluvii S. Joſephi vidiſſe plenos agros iisdem obſitos: addit tamen, easdem forte fuiſſe ſtolones arborum cæſarum. Radices longe lateque ſe extendunt & ſolum haud profunde penetrant. Sunt illæ pro ſtirpium magnitudine nunc tenues, nunc craſſæ brachiatæque, paucis fibris donatæ, & permultos protrudunt ſtolones. Radix trunco præſtantior eſt virtute medica, & cortex præſtantior ligno. Folia ſemper virent, ſecundum nonnullos vero auctumno cadunt, ſuntque odora, præſertim ſicca. Color illorum eſt viridis obſcurior *tab. LXX. fig. a. c.* quem alii lucidum dicunt; inferior ſuperficies albicat *fig. b. d.* Suffulta ſunt petiolis longis & ordine alterno ramis adhærent. Novella ſunt integra, ovalia, in extremitate obtuſe mucronata ſeu elliptica *tab. LXIX. fig. a.* illa ligni veterioris bilobata *b.* & trilobata *c.* omnia glabra ad margines integerrima & tribus nervis ſeu coſtis plurimisque venis lateralibus inſtructa.

Ad ramorum extremitates verno tempore proveniunt florum gemmæ, quarum involucri partes ſeu ſtipulæ *fig. e. e. e.* cadunt, quod involucrum nonnulli commune floris involucrum tetraphyllum perperam appellant. Ex alis foliorum novellorum ut & infra illa oriuntur florum pedunculi longi ramoſique, qui racemum conſtituunt. Cuilibet horum ramulorum adhæret foliolum lineare anguſtum fig. *f. f. f.* & ramulis inſident flores parvi lutei exigui pentapetali nec raro hexapetali, vel potius monopetali quinquies vel ſexies profunde fiſſi *g. h. r. s. t.* in fundo tamen integri, id quod non ſolum monſtrat *fig. r.* verum etiam experientia probavit, dum in his floribus ſiccatis & in aqua maceratis ſegmenta nullatenus ſolvebantur, nec ſine laceratione ſeparari poterant.

De Plantarum genere, cui adſcribenda ſit hæc ſtirps, primus cogitavit PLVKENET, qui illam appellavit Cornum: ſed LINNÆVS, floribus accuratius examinatis declaravit, eam Lauri ſpeciebus adnumerandam eſſe, idque omni iure eum feciſſe, nos demonſtravimus *Act. cit. p.* 339. Vt autem minus aberremus, non ſolum, oblata occaſione optata, Lauri vulgaris ſeu ita dictæ regiæ characteres omni accuratione poſſibili examinavimus & *Act. p.* 331–338. expoſuimus figurisque illuſtravimus, verum etiam (quum, ut ſupra indicavimus, in Anglia fructus haud perficitur) a celeberr. COLLINSONO tales in ſtirpis huius patria collectos, expetivimus atque etiam obtinuimus, eosque in *tab. LXX. fig. t.* 3--9. * delineandos curavimus, & inſuper, quia hi fructus exſiccatione quoad figuram & colorem valde mutati fuerunt, eorundem ſtatum naturalem ex CATESBY opere *fig. y.* 1. 2. depictam addidimus, & denique *Act. app. p.* 344-406. recenſuimus quindecim Lauri ſpecies genuinas, quas ab aliis indicatas invenimus. Lauri vulgaris ſtirpem eſſe diœciam (id eſt cuius individuum alterum flores tantum maſculinos ſeu ſtamineos, alterum tantum femininos ſeu piſtillatos, vel potius hermaphroditos i. e. piſtillo & ſtaminibus inſtructos, profert) alii quidem annotarunt, ſed noſtris obſervationibus & figuris id demonſtravimus *Act. app. p.* 332 - 338. Quod autem Saſſafras arbor pariter ad hanc ſtirpium claſſem pertineat, Dn. EHRETVS demum invenit, figurisque demonſtravit *Act. citat. obſ. p.* 326, atque MILLERVS *Dict. edit. VII.* confirmavit.

Eiusmodi Saſſafras florem ſtamineum repræſentat Tab. LXX. *fig. g. h.* & piſtillatum *r. s. t. v.* Vterque inſtructus eſt ſtaminibus, quorum filamentis in fundo interſertæ iisque breviſſimo filamento affixæ ſunt glandulæ *n. o.* incerti numeri, quarum unam ſeparatam ſiſtit *fig. p.* & cum breviſſimo filamento ſuo *q. x.* In maſculinis ſtamina plerumque novem *fig. l.* (ubi a corolla ſeparata) in femininis vero ſemper ſex reperit Dn. EHRETVS (*vid. eius obſ. cit. p.* 326. & 327.) & in femininis ſimul piſtillum *fig. s. t.* quod ſeparatum cum ſtylo, ſtigmate & germine oſtendit *fig. v.* In maſculinis equidem pariter invenit ſtylum, ſed ſine germine & cum ſtigmate vario *i. k*; qui vero ſtylus ſtamini monſtroſo ſimilior nobis videtur.

Floribus marceſcentibus foliola anguſta *f. f.* cadunt & fructus ſeu baccæ ſuccedunt. Tunc pedunculi horumque ramuli valde elongantur rubrumque ſeu miniatum colorem induunt *fig. y*, quorum extremitas, cum fundo floris concreta, ampliatur *fig.* 2. 3. & pro excipienda bacca excavatur *fig.* 5. adeoque cupulam format, ſimulque rubra fit *fig.* 2. Baccæ primum virides ſunt, deinde vero cæruleſcunt *fig.* 1. & continent nucem ſimplicem ovato acuminatam & leviter compreſſam *fig.* 7. nucleo albo bilobato & amaro eiusdem figuræ *fig.* 8.* fœtam.

Sunt, qui aliquot Saſſafras ſpecies vel varietates indicarunt, nempe 1. foliis crenatis ſeu potius dentatis, & in tres partes profunde ad petiolum usque diviſis; 2.) foliis parvis anguſtis & tenuibus; 3.) folio Lauri ſeu minori; 4.) plures ratione ſaporis, odoris texturæque ligni tantum differentes, de quibus varietatibus videantur HERNANDVS (*Rerum medicar. Novæ Hiſpaniæ theſaurus p.* 58.) PISO (*de Medicina Braſilienſi tract. IV. p.* 98.) IO. BAVHINVS (*Hiſt. plantar. T. I. p.* 483.) MVNTINGIVS (*Waare Oefening der Planten p.* 21. *Beſchr. der Aardgew. p.* 110. *Phythograph. fig.* 19. PAVL. HERMANNVS (*Cynoſ. mat. med. ed. Henning. p.* 105. *edit. Bœcler. p.* 222.) MICH. BERNH. VALENTINI (*Muſeum*

ſeum muſeor. p. 264.) PETIVER (*Gazophyl. nat. & artis Dec. V. p.* 95.) & conferantur, quæ ſuper iisdem annotavimus *Novor. Actor. citator. T. II. Append. p.* 323. Quum vero harum ſtirpium omnium deſcriptiones nimis imperfectæ & obſcuræ, nec illis figuræ, & præcipue nulli generis characteres additi ſunt, de illis plura commemorare ſuperſedemus. Præter has citatas ſtirpes a CATESBY T. II. t. & p. 28. deſcribitur & depingitur Cornus foliis Salicis Laureæ acuminatis, floribus albis, fructu Saſſafras, quæ ſtirps, ſi foliorum figuram & floris colorem excipias, non ſolum baccis earumque cupulis & petiolis, verum etiam floris figura penitus convenit cum Saſſafras. Floris ſexum non indicat A. procul dubio ipſi haud cognitum, & baccas deſcribit depingitque virides, forſan nondum maturas: ceterum ligni qualitates tacet & ſolummodo addit, hanc arborem ordinarie ultra 26. pedes non aſcendere, folia eſſe alterna, eorumque petiolos pollicem longos.

TAB. LXXI.

I. PVNICA foliis lineari-lanceolatis, caule arboreſcente, flore maiore *Mill. Gard. Dict.*

Punica *Linn. H. Cliff.* 184. *Vpſ.* 122. *Mat. med.* 37. *n.* 223. *Spec.* 472. *n.* 1. *Syſt. N.* 1056. *n.* 544. *Roy. Lgdb.* 267. *Hill. Hiſt.* 451.

Punica, quæ malum granatum fert, *Cæſalp.* 141. *Tournef. I. R. H.* 636. *Boerh. Ind. II.* 250. *Till. Hort. Piſ.* 140.

Punica ſylveſtris *Cord.* Hiſt. 184. a. *Carid. Pl. d'Aix.* 383. *Mich. Cat. Pl. H. Cæſ. Flor.* 77. *Segu. Plant. Veronenſ. II.* 310.

Punica ſive Granata malus flore ſimplici *Heiſt. Ind. II.* 24.

Punica mala *Blackwell Herbal. t.* 145.

Punica malus *Dalech. H. Lugd.* 303. & Punica mala *Cord. Hiſt.* 83. *b. Ruell.* 239.

Malus Punica *Gesn. Hort.* 267, *a. Matth.* 193. *Dod. Pempt.* 794. *Cam. Epit.* 130. 131. *I. B. Hiſt.* 76. *a. Magn. Char.* 325.

Malus Punica flore ſimplici *H. Eyſt. æſtiv. arb. & frut. Fol.* 7. *f.* 1.

Malus Punica ſativa *C. B. pin.* 438. *Parck. Th.* 1510. *Parad.* 428. *n. I. Magn. H. R. Monſp.* 130.

Malus Punica ſylveſtris *C. B. pin.* 438. *Gerard.* 1450. *Magn. Botan. Monſp.* 173.

Malus Punica ſpinoſior agreſtis *I. B. Hiſt. I.* 78. *b.*

Malus Punica ſive Granata *Park. Parad.* 428.

Malus Granata ſive Punica *Gerard.* 1450. *Tabern. ic.* 1033.

Malus Granata *Stapel in Theophr.* 393. *Parck. Th. p.* 1511.

Malus granatus *Dorſt.* 141. ſimplici flore *Parck. Parad.* p. 429. *fig.* 4.

Malum Granatum, Delima *Rumph. Amb. II.* 94. *t.* 24.

Malum Punicum *Lob. Hiſt.* 563. adverſ. 419. icon. 11. 130.

Granada *Heiſt. Syſt.* 15. *Rupp.* 165.

Granata, Punica mala *Blackwell Herbal. t.* 145.

Granatus flore ſimplici *Heuch. Ind.* 21.

II. PVNICA flore pleno maiore *Tournef. I. R. H.* 636. *Boerh. Ind. II.* 250. *Garidel Pl. d'Aix.* 383. *Mich. Cat. Pl. H. Cæſ. Flor. l. c. Linn. H. Cliff.* 184. *var.* β. *Hall. H. Goett.* 112 *Zinn. H. Goett.* 144.

Punica Balauſtifera *I. B. Hiſt. I.* 82. *a.*

Punica ſterilis, ſed peregrina in Italia *Cæſalp.* 141.

Punica ſive Granada malus flore pleno *Heiſt. Ind. H. A. Jul. I.* 26.

Malus Punica flore pleno *R. R. P. H. L. Bat.* 404.

Malus Punica ſylveſtris maior, ſive Balauſtium maius *Park. Th.* 1511. *Rai.* II. 1463.

Malus Punica ſylveſtris ac ſterilis, cuius flos Βαλαυſτιόν nominatur *Dod.* 794.

Balauſtia *Tabern. ic.* 1033. *H. Eyſt. Aeſtiv. arb. & frut. Fol.* 8. *f.* 1.

Balauſtia, ſive pleniflores Granati ſylveſtris *Ger.* 1450.

Balauſtia Hiſpanica *I. B. Hiſt. I.* 82.

Balauſtia flore pleno maiore *C. B. pin.* 438. *Bœrh. Ind. II.* 250.

Balauſtium *Lob. ic. II.* 130. *H. Eyſt. l. c. deſcript.*

Balauſtium maius ſive Cyprinum *Park. Parad.* 429. *fig.* 6.

Balauſtio orientale *Caſt. Dur. edit. Rom.* 1585. *& Ven.* 1617. *p.* 59. ibid. 1684. *p.* 60.

Granatus flore pleno *Heuch. Ind.* 21.

Granata, Punica mala *Blackw. Herbal. t.* 97.

III. PVNICA foliis linearibus, caule fruteſcente, flore minore *Mill. Gard. Dict. n.* 2.

Punica Americana, nana ſeu humillima Lign. *Tournef. I. R. H.* 636.

Expoſ. *a. a.* Cytinus ſeu flos adhuc clauſus, *b. b.* Perianthium ſeu calyx ſemiquinquefidus a facie externa, *c.* corolla a facie externa, *d.* a facie interna, *e. f.* calyx verticaliter diſſectus, *g. g.* corollæ petala quatuor calycis ſegmentis adhuc inſerta, a facie interna, *b.* petalum quintum ſeparatum a facie externa, *i.* eius dorſum elevatum, *k. k.* ſtaminum inæqualis longitudinis faſciculus extra calycem ex parte prominens, *l. l.* idem faſciculus parietibus calycis adnatus, *m.* ſtamen ſeparatum in magnitudine naturali, *n.* aucta, ubi filamentum & anthera didyma, *o.* ovarium, calycis ima parte comprehenſum, *p.* ſeminum ſeu granorum rudimenta *q.* ovarium verticaliter diſſectum, *r. r.* ovarii operculum orbiculare ſeu germinis vertex convexus, *s.* ſtylus brevis ſimplex cum ſtigmate capitato, *t. t.* ovarium calycis ſegmentis coronatum in fructum ſeu malum ſenſim ſenſimque magnitudine auctum excreſcens, *u. u.* duo tales fructus maiorem perfectionem conſequuti, *x.* malum perfectum ſeu fructus maturus, *y.* talis ex ſumma maturitate ſponte ſua crepatus, *z.* & ⊙ talis verticaliter diſſectus, ubi 1. calycis ſegmentorum ſeu coronæ facies interior cum ſtaminum reliquiis aridis, 2. 2. piſtilli ſtilus ſeu tuba perſiſtens, cius pars inferior ſeu germinis vertex, ovarii operculum orbiculare & ſuperius convexum formans, 4. 4. eiusdem piſtilli per fructus medium ad petiolum usque continuatio, quæ in varias lamellas ſeu pelliculas dividitur, 5. eiusmodi lamella ſemipellucida, ſuper granorum loculos expanſa, horum loculorum ſingulos inveſtiens ipſisque granis ſe intergerens, 6. lateris oppoſiti loculi cum ſuis granis denudatis, ☽ talis fructus horizontaliter diſſectus, 7. 7. loculi novem vel decem & in ſingulis duplex granorum ſeries, ♂ iidem loculi evacuati, 8. ſeparatum granum involucro ſuo ſucci pleno adhuc involutum, 9. grani ſemen ſeu acinus denudatus, ☿ flos punicæ ſeu Balauſtiæ maioris plenus ſeu petalis multiplicatis, ♃ talis verticaliter diſſectus, 10. petala multiplicata ex ſtaminum transformatione orta, 11. Piſtillum cum ſtylo, ſtigmate & germine ſeu ovario, ♀ Punicæ nanæ flos a facie laterali & ſuperiore, uterque in magnitudine naturali.

Nota. Hanc imaginem Dn. EHRETVS pinxit, Monte Peſſulano, ubi uti in pluribus Galliæ Narbonenſis atque Italiæ regionibus hi frutices arboresve ad vias in ſepibus arvisque frequentes inveniuntur, id quod etiam PETR. MAGNOLVS *Bot. Monſpel. l. c.* (ubi de Punica ſylveſtri agit) teſtatur his verbis: „ recte I. B. Monſpelii in ſepibus provenire dicit; ea ſiquidem „ utimur etiam pro vinearum ſepimentis. „ & GARIDEL plantas regionis Aquarum Sextiarum recenſens, de Punica rariter ſylveſtri agens hæc addit latine reddita: „ reperitur „ ubique in via *Tholonet* verſus ad quartam milliaris partem „ ab urbe, ad arvorum margines, quos *Ribos* appellant, atque „ aliam infra arva *de Monte*, *au Devens*, *Molieres* pluribusque „ in aliis locis; plantatur etiam pro ſepibus ſtruendis ut & in hortis pariter ac prope prædia. SEGVIERIVS l. c. de eadem Punica refert: „ in ſepibus omnibus frequens eſt, cum „ in urbis viciniis, tum in aliis locis ab illa diſſitis „ & Mercator per Galliam Narbonenſem negotium gerens mihi affirmavit, easdem etiam ſatis frequentes eſſe *Budiſſæ* in Luſatia ſuperiore tum in hortis, tum horum ſepibus. Dum hanc ſimplici flore arborem in horto quodam noſtratium florentem inveni, floris partes ſigillatim delineandas curavi; &, ut fructus quoque ſtructura pateat, tales maturos a mercatore ſupra memorato procurandos petii & inter illos unum ſponte ſua iam hiantem, qua occaſione ab illo didici, eos ab arbore iam ſeparatos non amplius dehiſcere, ſed cum arbore adhuc iunctos ex ſumma maturitate indeque granorum ſucci turgeſcentia. Partes quædam floris fructusque olim propriis inſignitæ ſunt nominibus. Cytinum iam produxi, quo tum flores adhuc clauſi, tum eius calyces notabantur; flores Punicæ ſylveſtris a botanicis æque ac medicis vocabantur Balauſtia vel Balauſtiæ,

quo

quo nomine adhuc in officinis pharmacevticis veneunt, ſed ibi ordinarie colliguntur flores Punicæ pleno flore &, quæſtus largioris cauſſa, petala una cum cytino ſiccantur, quæ pares vires obtinent. Fructus cortex nomine Malicorii, aliis cum DIOSCORIDE Sidii, (σίδιον) aliis, corrupto Græco nomine Pſidiæ (*vid. I. B. p.* 78. *b.*) veniebat, vel quia olim, uti Rhus coriariorum, ad coria perficienda adhibebatur (*I. B. ibid.*) vel, quod probabilius, quia eius ſubſtantia corio ſimilis eſt. Pellicula loculos granaque inveſtiens a VARRONE dicta eſt Cicus & Cicum, notante IO. BAVHINO *l. c. p.* 78. *b.* Diſtinguuntur vulgo mali Punicæ in ſylveſtres ſeu agreſtes, & ſativas ſeu hortenſes, quarum priores aſperiores dicuntur & ſpinoſiores. Quemadmodum autem hæ arbores illis in regionibus calidis, ubi ſilveſtres ſunt, in hortis quoque, procul dubio venuſtatis & utilitatis cauſſa plantantur (quod auctores citati & MAGNOL *Hort. Reg. Monſpel. p.* 130. docent), ita in regionibus rigidioribus neceſſitatis cauſſa, ne ex frigore pereant, hoc obſervatur: ſi vero inde habitus earum paullulum mutetur, & mitior reddatur, hoc ad ſpeciem deſignandam non ſufficit, quare etiam LINNÆVS l. c. utramque pro una eademque ſpecie merito declarat. Notabile eſt, quod RVMPHIVS l. c. de hac arbore his verbis a BVRMANNO translatis indicat: „ Granatæ arbores in India tantum fruteſcunt, immo plerumque „ breviores ſunt quam in Europa, ſeſe in varios tenues di„ ſpergentes truncos, ac vix ita dirigi poſſunt, ut unam tan„ tum gerant ſtipitem: Ceterum tam forma quam fructibus „ conveniunt cum Europæa „ heu quanta climatis vis! Punicam flore pleno ſeu Balauſtiam culturæ productum & ſylveſtris ſobolem pariter tantum quidem eſſe, nemo negabit, cui notum eſt, in floribus ſic dictis plenis ſtamina tantum in petala mutari, *vid. fig.* 4. id quod VALLIANT *Serm. de ſtruct. flor. p.* 12. *ſequ.* iocoſo explicat ſtylo; quia vero hæc transmutatio perpetua manet, merito varietatibus conſtantibus annumeratur. Ceterum, quia hac mutatione ſtaminum filamenta transformantur, hæc vero antheras ſeu ſeminis prolifici loculos abiiciunt, eiusmodi flores inde redduntur ſteriles, ſi excipias quosdam, e. gr. Papaveris, qui nihilominus fructum ſemenque perfectum relinquunt, quia horum ſtaminum degeneratorum haud pauca antheras ſuas ſervant. Differunt autem Balauſtiæ flores inſigniter ratione magnitudinis. Valde ſpecioſæ omnesque eædem ſunt eorum imagines, quas ſiſtunt LOBELIVS, PARKINSONIVS, GERARDVS, TABERNAEMONTANVS, IO. BAVHINVS, quas æquant, ſi non ſuperant illæ Horti Eyſtettenſis, imo CAESALPINVS *l. c.* hos flores comparat cum Roſis centifoliis. Noſtra imago *fig.* ♂. ♀. multo minor eſt (eandem magnitudinem enim non omnes flores conſequuntur) neque tamen propterea confundendus eſt cum Balauſtio flore minori Romano *H. Eyſt. l c. fol.* 9. *fig.* 2. ſeu Balauſtia flore pleno minore C. B. p. 438. n. IV. & Balauſtio Romano fig. 5. minori *Park. Parad.* 429. ſeu 430. *n.* 3. utpote qui frutex ſecundum additam H. Eyſt. deſcriptionem differt foliis atrovirentibus & calycibus craſſioribus durioribusque, florum minorum triſtiore ſaturata purpura punicantium magis ſylveſtrem genium referens, & PARKINSONII frutex deſcribitur maiori humilior, foliis ſaturatius virentibus, ramis minus purpuraſcentibus & non ſpinoſis, floribus minoribus, non adeo plenis ſeu multiplicatis, ex aurantio ſaturatius rubentibus, ſeu coloris ravi (anglis *tawny*, germanis Lohfarb) calycibusque eiusdem coloris, nihilominus tamen a LINNÆO varietati β. tantum adſcribitur. Aliter ſentiendum eſt de Punica nana, (cuius florem *figura* 4. ſiſtit), quam ipſemet per aliquot annos in teſta horti mei colui & eosdem characteres ſpecificos obſervavi, quos MILLERVS *l. c.* annotavit. Diſtinguuntur porro Punica mala ratione ſaporis, qui in aliis acidus, in aliis dulcis eſt: addunt nonnulli ſaporem vinoſum ſeu ex acido & dulci mixtum aut medium, quem nonnulli, græcam vocem μεσον corrumpentes, lepide dicunt muzum (I. B. *p.* 78. *b.*), quales fructus Monſpelienſes, *Muſſenques* nominant teſte MAGNOLIO, qualesque RVMPHIVS *l. c.* deſcribit Amboinenſes Ex relatione memorati mercatoris certior factus ſum, Granata mala, dulciſſima provenire ad lacum Benacum (*Lago di Garda*) agri Veronenſis, circa Budiſſam vero colligi maximam partem acida, cuius indolis teſte MAGNOLIO quoque ſunt Monſpelienſia ſilveſtria; propterea vero ex his ſpecies diſtinctas formare, fundamento carere & potius hanc differentiam a ſoli ſolisque benignitate produci mihi quidem videtur, præcipue quia CÆSALPINVS *l c. p.* 142. iam annotavit, acida in Aegypto converti in dulcia, & I. B. *p.* 76. *b.* affirmat, ex dulcibus acinis prodire viles, & ex enucleatis, dura & plerumque acida ſcilicet mala. Punica Aegypti & Ciliciæ, mutato ſolo, meliora redduntur. Quod ad nominis etymon attinet, nullum quidem eſt dubium; illud a colore puniceo, ſeu phœniceo, quo flos & fructus grana ſuperbiunt, derivari poſſe; num autem nomen coloris puniceum e contrario ab hac arbore derivandum ſit, quia ſecundum PLINIVM tales arbores laudatiſſimæ olim copioſe creſcebant in vicinia famoſæ urbis Carthaginis, (Aldrov. dendrol. Ed. Bon. 591. Francof. 423.) æque perſpicuum non eſt: ſic etiam Malum granatum quidam a Granada ſeu Granata urbe vel Hiſpaniæ regione ex pari ratione derivare amant, quod vero alii cum LACVNA rident, quia malum granatum hoc nomine CATONIS & VARRONIS tempore notum iam fuit (*I. B. p.* 77. *b.*) & potius etymon quærunt in plurimis granis, quibus hæc mala ſcatent. Qui plura ad Mali granati hiſtoriam pertinentia, ex veterum Monumentis petenda, ſcire amat, evolvat collectanea uberrima VLYSSIS ALDROVANDI *Dendrol. edit. Bonon. p.* 586. *ſeqq. Francof. p.* 419. *ſeqqu. & I. B. l. c.*

TAB. LXXIII & LXXIV.

FICVS foliis palmatis *Linn. H. Cliff.* 471. *Vpſ.* 305. *Mat. Med. n.* 478. *Amœn. Acad. I.* 215. *Spec. pl.* 1513. cognomine Caricæ. *Roy. Lugdb.* 211. *Gouan. Monſp.* 521.

Ficus foliis palmatis fructu maiori *Brovvn. Jam.* 109.

Ficus *Trag. Hiſt.* 1050. *Cord. Hiſt.* 184. *Matth. Dioſc.* 207. *fig.* 211. *Cam. Matth.* 101. *ic. b. Epit.* 182. *Lobel. Obſ.* 612. *Adv.* 442. *Ic.* 197. *Cæſalp. plant.* 87. *Dod. Pempt.* 811. *f.* 812. *Dalech. Hiſt.* 335. *f.* 336. *Tabern. IC.* 975. *Gerard. Hiſt.* 1327. *emac.* 1510. *I. B. Hiſt. I.* 128. *Chabr. Sciagr.* 9. *Aldr. Dendr.* 427. *Rai. Hiſt.* 1431.

Ficus communis *C. Bauh. Pin.* 457. *Magnol. Monſp.* 97. *Boerh. Lugdb. II.* 258.

Ficus ſativa *Fuchſ. Hiſt.* 754. *f.* 755. *Jonſt. Dendr.* 46. *t.* 24.

μ Ficus ſativa fructu maiori violaceo oblongo, cute lacera *Tourn.* LINN. *Amœn. acad. I.* p. m. 215.

Nota. Ficum ex antiquiſſimis eſſe arboribus, quæ ſemper in uſu fuerunt, maximique æſtimatæ, ex ſacri Codicis variis locis, veterum rei ruſticæ ſcientiæque naturalis Scriptis, & Poetarum figmentis ſatis ſuperque patet; hinc non mirum, quod tam ſollicite ſemper fuerit culta, & in alias regiones, ea deſtitutas, translata. Interim tamen eius fructificatio, quamvis in omnium oculis & manibus eſſet, Hiſtoriæ naturalis cultorum & curioſorum oculos, intra receptacula recondita, calide ſubter fugit. Neque enim, qui in COLVMELLA *de re ruſtica l. V. C. X. ed. Geſner.* 558, ubi varias recenſet ficus, occurrunt floſculi, pro veris floſculis ſunt habendi; ſed potius ſecundum Notarum Autoris ſententiam, pro *prima ficus erumpentis cyma.* Tandem vero CORDVS, in Botanices emolumentum natus in Groſſorum cavitate primus floſculos piſtillatos detexit, uti *ipſe* in Hiſt. III. 124. a his verbis teſtatur: *Flores ut omnes hactenus tradiderunt* non *fert, ſed ſtatim parva fructuum rudimenta, quos groſſulos aut groſſos latini vocant, piſo aut fabæ æqualia, ea paulatim increſcunt, donec piri mediocris figuram ac quantitatem conſequantur, cum ad mediam magnitudinem pervenerint, intra ſe flores (quod fortaſſe mireris) concipit figura confertis ſtaminibus ſimiles, colore in condido purpuraſcentes undique e carne exeuntes, atque ad mediam fructus cavitatem ſe dirigentes, quibus ſingula minutaque ſuccedunt ſemina, colore flava, quodammodo compreſſa, milioque ſimilia, unde etiam cenchramides a græcis dicuntur.* Hactenus Cordus. Ex his ſatis liquere puto, Cordum vere flores piſtillatos in ficubus domeſticis conſpexiſſe, nec immerito pro vero eorum detectore

ſemper fuiſſe habitum; præſertim, cum Botanicorum ſcripta, eius ætate ſuperiora, floſculorum memoratorum nullam faciant mentionem. Quapropter IOH. BAVHINVS in *Hiſt.* I. p. 129. & RAIVS itidem in *Hiſt.* p. 1432. nulli dubitaverunt, quin ipſiſſima Cordi verba in ſcripta ſua locis citatis transferrent & propria experientia, quod in primis de IOH. BAVHINO valet, confirmarent. Iisdem veſtigiis TOVRNEFORTIVS quoque Botanicorum ſua ætate Coryphæus inſtitit, cum in *Inſtit. Rei. herb.* p. 662. characterem genericum inde efformaret, & in tab. 420. receptacula & integra & diſſecta, matura & immatura, uti videtur, calyces pulpoſos in ſinu obliquo ſemina continentes ab utraque parte, & ſemen ipſum exhiberet. *Sic* etiam MALPIGHIVS in *Anat. Pl.* p. 15. t. 27. f. 156. Ficus fœminæ receptaculum immaturum diſſectumque cum floſculis fœmineis & foliolis umbilicalibus, altero exteriori, altero interiori, repræſentavit. Poſt *de la* HIRE *iunior* in Ficus domeſticæ receptacula incidens, quæ infra floribus fœmineis, ſupra circa umbilicum maſculis referta eſſent, talis receptaculi, florum utrorumque, quin etiam eorum partium in *Actis Pariſinis* 1712. accuratam dedit p. 275-278. deſcriptionem & t. 15. delineationem. Tum PONTEDERA in libro, qui *Anthologia* inſcribitur, itidem in fructificatione Ficus extricanda deſudavit, & quum veterum de caprificatione Ficus ſibi ſumeret explicandum ænigma, non ſolum quæcunque hic inde diſperſe occurrunt loca undique corraſit, ſed etiam eadem mente in ficubus domeſticis & ſylveſtribus accuratas inſtituit obſervationes, quibus edoctus tria Ficus conſtituit genera, ſuum cuique attribuens nomen & proprium de receptaculis fructificationis, varie conſtitutis, deſumtum characterem. Idem pari ex ratione inſectorum ficariorum (*Pſenum Veterum*) & amplam deſcriptionem, & in tab. XI. f. 2. quantum videre eſt, ſat accuratam delineationem, iconibus groſſorum Ficus & Caprifici, eorumque partium, ſeorſim delineatarum, interſertam exhibuit. Demum LINNÆVS Botanicorum facile Princeps, quæcunque de Ficu eiusque fructificatione conſtabant, collegit, & per HEGARDTVM in diſſertatione *de Ficu*, quæ Eiusdem *Amœn. Acad. Vol.* I. inſerta eſt & a pag. 213. ad 243. pertingit, ordine concinno diſpoſita promulgavit. Ibidem ænigma de *caprificatione* Ficus, veterum reliquias & TOVRNEFORTII obſervationes, noviter in *inſulis Ægeis* & PONTEDERÆ in *Italia* factas, comparans digerensque haud invita Minerva explicare tentavit. Idem ex diverſis Ficus fœminæ partibus, ſibi aliisque in primis HIREO viſis, characterem genericum, ſuo more concinnatum, in *generibus Plantarum*, claſſi *Cryptogamiæ* addicens primo expoſuit. Dein paucis mutatis in diſſertationem ſupra citatam, indeque in noviora *plantarum genera* transtulit, & in his tandem, loco *Cryptogamiæ*, *Polygamiæ triœciæ* adſignavit. Pari modo & noviſſime *beatus* TREWIVS imagine de Ficu fœmina eiusque fructificatione ſibi ab EHRETO miſſa, quam idem in monte Peſſulano, ubi indigena eſt, delineavit, cogitare cœpit, qua ratione & icones & obſervationes de Ficus domeſticæ receptaculis, maturis immaturisque, eorumque floribus, cum noſtræ regiones deſtituantur Ficu ſylveſtri ſeu Caprifico, adaugere poſſet. Ea igitur mente beatum LEDERMüLLERVM, dum Norinbergæ adhuc viveret, adiit, ut microſcopio, quod illi erat *Wilſonianum* ſeu *Milchmeyerianum*, adiutus, Ficus fœminæ receptacula a primis rudimentis ad eorum maturitatem perquireret inveſtigaretque, ille, comite ubique TREWIO, negotium in ſe ſuſceptum, plura centena eum in finem diſſecans floſculosque inprimis circa umbilicum perdiligenter perquirens, maſcule explere tentavit: ſed in caſſum, quamvis enim nec ficubus nec operæ parceretur, nihilominus tamen nullus talis floſculus in conſpectum venit, hinc & TREWIO & LEDERMVLLERO in animum venit, an forte *de la* HIRE eſſet deceptus, præſertim cum nec antea nec poſtea alius quisquam, propriam afferens experientiam eorum mentionem fecerit, & præter hæc in ficulis, quorum floſculi adhuc clauſi erant, animadverterent, quod floſculorum illorum facies ſpeciem Staminum, a *de la* HIRE depictorum, perfecte referret, iidemque adhuc tenelli ſucco glutinoſo, in cavitate receptaculi exuberante, pediculis compingerentur conglutinarenturque, (uti in figuris 55 & 56. T. LXXIV. videre eſt) ita ut viſui ſe obtruderent, quaſi ex unico pediculo eſſent enati, & in plures diſpeſcerentur floſculos, ſeu potius flos eſſent duobus, tribus ſeu pluribus compoſitus ſtaminibus, accuratius vero explorati, inveſtigatique, absque negotio, aqua inprimis intincti, ſeparari poterant, patienterque microſcopio inſpecti, ſenſim ſenſimque ſegmentis calycis dehiſcere conſpiciebantur. His denique non contentus b. TREWIVS L. B. de GLEICHEN petiit, ut & *ille* ficus microſcopio, ipſi *univerſali* dicto, florum maſculorum gratia inveſtigaret; verum & eiusdem irriti fuerunt conatus. Hac fraudatus ſpe, ſibi potiſſimum curæ cordique eſſe ſivit, ut, quæcunque in ficubus ab earum infantia ad maturitatem conſpicienda eſſent, accuratiſſime delinearentur. Hinc in T. LXXIV. ficulos puſillos, 1-4. in magnitudine naturali & 6. aucta, ſitu & magnitudine varios una cum involucro exteriori, ſeu ſi mavis caliculo, ſquamarum ſemiovatarum ſerie duplici, ſingula ex tribus compoſita, conſtante ut & pedunculo, vel absque utroque 11, umbilico 5. eiusque foliolo exteriori 7, nec non involucro cum pedunculo 8. 9. rurſus ſeorſim & a diverſis plagis exhibito, depingi curavit. Quo minus vero exterior tantum ſuperficies, ſed & interior cum contentis in conſpectum caderet, inde & ficulos transverſe diſſectos, & naturali 12. a. b. & aucta magnitudine 13. 15, interna ſuperficie adverſa, ſiſti iuſſit. Neque id ſibi ſufficiebat, ſed ut foliola quoque ſuperiorem ſ. umbilicalem regionem undique obtegentia, & floſculi fœminei inferiorem ſ. pedunculatem ubique occupantes, ſolitarie conſpicerentur, inprimis meditabatur; hinc & foliolum tale 14. & floſculos tenellos, alios adhuc clauſos 16. 17, alios hiantes 18-20, alios iam plane apertos 21-24, ſingulos & naturali & valde adaucta magnitudine, delineari curavit. Sic idem portiunculam placentulæ ficuli naturali 27. & aucta magnitudine 28, floſculis tenellis & ſquamis foliaceis, prioribus interſtratis, fœtam, nec non receptacula duo adultiora 28. 29. verticaliter diſſecta, ab interiori facie exhibita, una cum particula ficus matureſcentis ſecundum longitudinem exſecta, uti nudo 30. & armato 31. conſpicitur oculo, repræſentari voluit. Eidem pari ex ratione 25.26.32 foliola illa calycina umbilicum occupantia, & ſquamas floribus interſtratas, nec non flores ætate & magnitudine differentes, una cum piſtillo 34. 35. *α. β.*, vel absque eo 33, piſtillum adultum rurſus ſeorſim 36, quemadmodum & ſemen ipſum absque 38 & cum involucro 37, ſingula in magnitudine admodum adaucta partim & naturali, deſignari placuit. Quo minus vero quicquam fructificationi inſerviens, hic terrarum non obvium, prætermiſſum videatur, hinc omnem defectum, ex aliorum delineationibus hic & illic diſperſis, transferendo in Tabulam noſtram LXXIV. de *fructificatione Ficus*, ſupplere tentavit. Quo factum eſt, ut, ficum dimidiatam 41, a *de la* HIRE in *Actis Pariſinis* (*Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences*) a. 1712. p. 275-278. deſcriptam & t. 16. depictam, eiusque flores maſculos, unum nondum expanſum 42, alterum explicatum 43, nec non ſtamina 44 eorumque pollen 45 ſeorſim, quemadmodum ab Autore in citata tabula deſignantur, accuratiſſime denuo in æs incidi & Tabulæ noſtræ LXXIV, inprimi, fuerit ſolicitus. Eadem mente ab interiori facie groſſum caprifici 46 fere diſſectum, ſupra in aaaa floribus maſculis, infra in bbbb fœmineis, ab inſectis ficariis corruptis, feracem, & a PONTEDERA in *Anthologia* t. XI. f. 2. exhibitum, cum flore maſculo 48, ex ſtaminibus quinque compoſito, ſtamine ſolitario *α*, embryone 49, ab inſectis depravato, inſectis ficariis ſ. pſenibus 50, ſitu variis *α. β γ*, & ficus domeſticæ ſquamis umbilicalibus 47, altera exteriore *α*, altera interiore *β*, eidem Tabulæ inſerendum mandavit. Præterea de ſuis inſuper lac Ficus ex omni eius parte ſauciata manans, ut nudo 39 & armato 40 conſpicitur oculo, ſemina 57 involucro uno poſt alterum remoto abcd; in Tabula LXXIII. tale plane denudatum 58, ab utraque facie *α β*, idem 59 in ſuas duas cotyledones fiſſum ab interiori facie; dein in eadem tabula ficus exſiccatas ſ. paſſas, integras C. D. E. & diſſectas N. O., earumque ſemina naturali 1. 3. & aucta magnitudine 2. 4. 6., facie inſuper in 4. & 5. mutata, & unico 6. diſſecto, tandem & ſeminum receptacula ipſa 1.1.1. quibus inhærent, iterumque ſeorſim ſemina addenda ſibi viſum eſt. Quem vero in finem fig. 51 & 52. Tab. LXXIV. adiecerit hactenus definire vix auſus ſum, quum ne verbulo quidem nec TREWIVS nec LEDERMVLLERVS aut in pictura originali, ut dicitur, aut alibi ſuam expreſſerint mentem, nec ego ſciſcitando quicquam comperire potuerim. Quo minus vero easdem plane præteriiſſe videar, hinc paucis tantummodo memorabo, me figuram 52 pro monſtro, & 53 pro eiusdem ſuperiori dimidio habere, prætereaque ficuli 52 amplum hiatum vel inſectis, vel fibris recta ad umbilicum tendentibus, rigidis factis attribuere.

His

His igitur præmiſſis, iam inſtituti noſtri ratio requirit, ut fructificationis negotium, quoad eius in præſentiarum fieri poterit, dilucidemus. Veteribus fructificationem Ficus plane incognitam fuiſſe, ſupra iam eſt monitum, quamvis negotium, quod ſub titulo Caprificationis deſcripſerunt, non ignorarent; qua de re PLINIVS, THEOPHRASTVS, ARISTOTELES & PLVTARCHVS evolvi merentur. Sic *iidem* varia ficus individua diſtinxerunt, dum ſuum cuique addicerent nomen, & *Ficum ſativam* ſeu fœminam proprie *Ficum*, *ſylveſtrem* vero (Græcorum Ερινος) nuncuparent *Caprificum*; quibus *Pontedera* tertiam inter ſativam & ſylveſtrem mediam, *Erinoſycen* dictam, addidit. At quod eiusdem ſpeciei ſint invidua, & quid unaquæque ad fructificationem ficus conferret, & eosdem & *Pontederam* fugiebat. Quamvis cæteroquin non neſcii eſſent, Ficum ſylveſtrem ad ficuum maturitatem promovendam quam plurimum valere, interim tamen modum ignorabant, quum ſibi in animum inducerent, quod groſſus, prius defluens, quam maturuerit, putreſcere incipiat, putreſcendoque gignat inſecta, quæ, cum Ficus fœminæ groſſos petant, & crebriori morſu hic & illic perforent, intromittant aerem & radios ſolares, qui abſumendo ſuccum lacteum abundantem, promoveant eorum maturitatem. In quam ſententiam præcipue venere, quum Ficos domeſticas, vel in ſolo macro aquiloniove poſitas, vel ad vias frequentes plantatas, fructus ſuos absque prægreſſa caprificatione maturare animadverterent. Huius aſſertionis PLINIVS potiſſimum eſt Autor, qui in *Hiſt. Nat.* L. XV. C. 19. explanate ea de re egit, & idcirco præ aliis legi meretur. Cui ſententiæ & PONTEDERA in *Anthol. Lib.* II. C. XXXV. ſuffragatus eſt. Nec TOVRNEFORTIVS in *Relatione itineris in Orientem*, Vol. II, epiſt. 80, p. m. 23-26. negotium caprificationis deſcribens, cuius *ipſe* fuit ſpectator, ab eadem nimis longe receſſit: dum caprificationis neceſſitatem in ſucci nutritii ſeu potius lactei abundantiam transferret, & ſibi perſuaderet, inſecta vulnerando Ficus groſſos, vaſa nutritia nonnulla incidere, quæ, plorando ſuccum lacteum ſuperfluum, medeantur plethoræ. Quamvis aliam adhuc ſubeſſe cauſſam ſuſpicaretur, putans inſecta, cum ovula ſua intra ficus ſubſtantiam recondunt, una cum iisdem emittere ſuccum peculiarem, qui ficus ſucco admixtus, provocet leniſſimam fermentationem, qua caro eius teneraſcere & miteſcere incipiat. Quam in opinionem potiſſimum adductus eſt, cum ficus, in Gallia provenientes, pertuſas feſtucis oleo olivarum imbutis, nec non fructus alios (e. g. pyra, pruna) ab inſectis punctos, & citius matureſcere & melioreſcere cum animo cogitaret. At LINNÆVS, cum cuncta hæc probe penſitaret, & tot tantisque periculis vegetabilium fructificationis certus eſſet, præcipue vero cum ex PONTEDERÆ *Anthologia* cognoſceret, quod Caprifici groſſi meris fere floribus maſculis conſtent, quum fœminini, infra occurrentes, & ab inſectorum ficariorum ovulis inhabitati, indeque corrupti, pro veris floribus fœmininis haberi non poſſint, prætereaque cum ſua aliorumque multiplici experientia eſſet edoctus, quod Ficus ſativæ receptacula meris floſculis fœmineis gaudeant, cum Ficus a *de la* HIRE delineata, una & maſculis & fœmininis floribus intus referta, per raro reperiatur, potius aliam ſuſpicatus eſt cauſam & *Ficum ſylveſtrem* ſ. *caprificum*, *marem*, *Ficum ſativam*, *fœminam* eſſe, ſtatuit. Præter hæc vero *Pſeni cupidinis* vices iniunxit, cum nulla eſſet via, qua pollen ad piſtilla, intra calycem communem, ſquamis clauſum, deliteſcentia, pervenire poſſet, & ex *Veteribus* & *Neotericis*, inprimis *Tournefortio* & *Pontedera* intelligeret, inſectum ficarium Fico tantum, ut alia aliis, eſſe dicatum, inhabitareque Ficum ſylveſtrem neque prius avolare, niſi groſſus ſit pulvere maſculo ubivis referta: Porro cum ſecum reputaret, idem pulvere undique obductum evolare, petere & penetrare fructum fœminæ, ubi piſtilla, undique exſtantia, non poſſit non contingere, & abſterſo pulvere imprægnare. Nec ſibi obſtaculo erat, quod Ficus ſativæ absque ſylveſtris groſſis & cupidine haud raro maturarent fructus, revocans in animum, *Fragariam*, *Morum* & *Blitum* itidem ſæpius fructum ferre, etiamſi ſemina non maturent.

Interea tamen non fruſtra eandem peragi ex TOVRNEFORTIO colligebat, utpote qui in *Itinere orientali* l. c. expreſſis verbis referebat, Ficus caprificatas non caprificatas, quales in Gallo-provincia eſſe ſolent, fructu decemplici & quod excedit, exſuperare. Sic idem ſententiæ ſuæ enunciatum CAMERARII, qui ex Ficus ſemine nihil produci ſtatuit, non repugnare perhibuit, quum CAMERARII ſententia non in univerſum, ſed tantum de ficubus non caprificatis valeat, quales in Germania, Gallo-Provincia & alibi, ubi caprificus non exiſtit, eſſe ſolent. Longe aliter vero rem ſe habere cum ficubus, ex Oriente & Italia allatis, ubi caprificus indigena eſt, ex Eiusdem propriis periculis ſatis ſuperque patet: quippe qui ex dictarum ſeminibus, terræ & caldario mandatis, plantulas produxit, Ficum caricam in totum referentes. Nec legibus Naturæ adverſari ipſe puto, organa & media, fructificationi dicata, a reliquarum vegetabilium hic plane abludere, quum Deus rerum omnium conditor non unico, ſed pluribus & variis mediis & organis, ad eundem obtinendum finem, ſit uſus, & ſæpiſſime, quæ nobis ante oculos & ad manus ſunt, quam maxime condiderit, quo homo rerum abſconditarum curioſiſſimus ad idem accuratius inveſtigandum perpellatur, &, re detecta, Creatoris ſapientiam celebret admireturque. Quibus enim longior cum Natura interceſſit conſuetudo, haud ignotum eſſe poteſt, Deum & multiplicando & variando individua & variaſſe & multiplicaſſe tam organa quam media, in plantis inprimis, fructificationi ſervientia. Nec mirabitur inſectis hic uti, cum inſecta plurium plantarum fructificationi, pollen autherarum ſtigmatibus applicando, miniſtrent, & Idem voluerit, ut, quod ab altero fructum capit, eidem rurſus revergat in commodum. Sic quædam Animalia, dum vegetabilium ſeminibus & pericarpiis veſcuntur, eadem diſſeminare, vel ſtercore impinquando terram fodiendove, eorum lætiori incremento & largiori proventui anſam præbere, eſt res expertiſſima. Cæterum *Linnæanæ* ſententiæ inprimis favere puto, quod Deus Ens omnium ſapientiſſimum Pſeni aſſignaverit habitaculo Caprifici groſſum, nec itidem Ficus fœminæ receptaculum, aut alium folliculum quempiam; tum, quod embryones in receptaculo Ficus agreſtis præſentes, & nidum Ichmevoni præbentes, infimam partem teneant, maſculi vero flores ſuperiorem occupent, umbilico proximam; dein quod Pſen non prius exitum paret, niſi receptaculum ſit pulvere maſculo, ab antheris exploſo, ubique obductum; poſt quod potiſſimum id temporis e domicilio ſuo egrediatur, cum groſſi Ficus ſativæ in flore ſint conſtitutæ; denique quod Deus non aliis inſectis idem commiſſerit negotium: inſectum enim, in *Scolymo Chryſanthemo* C. B. habitans, quodammodo tantum in locum culicis, groſſorum Caprifici incolæ, ſubſtitui poſſe, prætereaque adhuc eſſe incertum, an non idem ſit Pſen, ex TOVRNEFORTIO præcipue liquet.

Etſi hæc recenſita argumenta imprægnationi, quæ fit ope culicis ficarii, cumprimis faveant; attamen dubitari poſſet, an inſecta ficaria polline, ſibi inhærente, piſtilla, in receptaculis ficus ſativæ habitantia, vere imprægnent, quum eadem intrare haud poſſint, niſi morſu crebriori ſibi paraverint viam, corpuſculo forſan anguſtiorem, indeque permeantibus fieri non poſſit, quin pollinem ſibi adhærentem abſtergant: præſertim cum ſuccus lacteus ex vaſculis ſauciatis undique affluens eundem abluat, inſuperque in ſummitate ficus ſint piſtillis foliola calycina, & in lateribus ſibi ipſa piſtilla inferiori ſua parte, imprægnationi minus accommodata, prævia. Quare ab inſectis, in receptacula primo penetrantibus, imprægnationem vix expectandam eſſe, credo. An vero idem ab iisdem, denuo groſſos Ficus ſylveſtris repetentibus, indeque ad ſativæ remeantibus, aut ab aliis, relictis modo receptaculis Caprifici, noviter appetentibus, & foramina, ab aëre & ſole iam ſiccata, indeque dilatata, intrantibus perhiberi non poſſit, minus dubito. Præter hæc vero ad florum piſtilliferorum imprægnationem, non nihil aërem, polline gravidum, conferre autumo. Quapropter & ficubus ſativis, in ſolo macro poſitis, caprificatione non eſſe opus, potiſſimum auguror, cum receptacula earum, hic & illic ſua ſponte iuxta Plinium hiantia, aëri, polline fœto, non denegent ad interiora aditum.

Pari modo & in dubium vocari poſſet, an Caricæ caprificatæ, quæ ex Oriente afferuntur, ſi comminuuntur & terræ mandantur, poſſint ſuæ ſpeciei proferre iuvenes plantas, cum ex TOVRNEFORTII relatu liqueat, incolas inſularum Ægæarum easdem prius aëre, inde furno ſiccare, quo diutius durent, nec ſitu nec vermibus corrumpantur, unde vero præſumi poſſet, ſeminum corcula calore furni deſtructum

ctum iri; niſi forſan furni calor ſit temperatior, quam qui eadem deſtruere poſſit. Verum idem de ficubus absque igne ſicceſcentibus, quales ex Italia & Orientis forſan aliis regionibus apportantur, ubi Caprificus æque exiſtit, valere nequit, quod pericula Linnæana abunde evincunt.

TAB. LXXV.

LAMIVM (garganicum) foliis cordatis pubeſcentibus, corollis fauce inflata, tubo recto, dente utrinque gemino. *Linn. Spec.* p. 808.

Lamium garganicum ſubincanum, flore purpuraſcente: labio ſuperiori crenulato. *Till. Piſ.* 93. t. 34. f. 2.

Lamium villoſum, catariæ folio, flore dilute purpuraſcente. *Isnard. Act. Pariſ.* a. 1717. p. 272. t. 9.

Nota. Plantæ imaginem, ab EHRETO delineatam & transmiſſam, in tabula LXXV redditam, b. TREWIVS ideo dignam cenſuit, quæ reliquis ſuis plantarum ſelectarum iconibus inſereretur; quum iconibus, inde hactenus evulgatis, & nitiditate & accurata expreſſione, uti vel ex Linnæana infra ſubiungenda deſcriptione colligere eſt, præſtet, inſuperque ſit coloribus vivis quam accuratiſſime dilucidata, & ad naturalem magnitudinem, quantum fieri potuit, exæquata.

MICHAELEM ſeu potius MICHELIVM, hanc noſtram in monte Gargano prope Caſtrum S. Angeli, ſponte creſcentem, nec alibi inveniendam, primum detexiſſe, & in *Actis Pariſiis*, & in TILLI *Catalogo horti Piſani*, ll. ſupra c. c. perhibetur. Eius vero ipſius ſpeciatimque fructificationis partium cum primam deſcriptionem tum accuratam delineationem, utramque ad exemplar, in horto Regio Pariſino altum, confectam, exhibuit ISNARDVS in *Actis*, a Regia Scientiarum Academia, quæ Pariſiis floret, publicatis, a. 1717. p. 272-274. t. 9. Eundem ſequutus eſt TILLI, qui eandem in *Catalogo plantarum horti Piſani*, qui Florentiæ in folio minori a. 1722 prodiit, una cum alia lamii ſpecie, LINNÆO *Orvala* dicta, in Act. Pariſ. pariter & deſcripta & delineata, tabula 34, hanc modo recenſitam figura, illam noſtram 2. deſignans, repræſentavit, & nomen eius ſpecificum, a MICHELIO inditum, ſupra iam recenſitum, cum ISNARDI Synonymo & loco natali p. 93 exhibuit. Tum LINNÆVS eandem ſpeciebus ſuis plantarum, ſecundum editis, p. 808. generi *Lamio*, nomine & charactere ſpecifico ſupra enumerato, accenſens inferuit, &, adiectis ſynonymis, deſcriptione brevi & preſſa illuſtravit, quæ cum ad noſtram imaginem in totum quadret, hinc mihi temperare non potui, quin eandem coronidis loco ponam: *Caules* ſunt *pubeſcentes. Folia obtuſiuſcula, ſublobato-ſerrata, pubeſcentia, non ſcabra. Verticilli multiflori. Corollæ tubi recti, nec ad baſin ut in reliquis curvati. Limbi faux inferne albida, ſtriis purpureis* intermixtis, prædita *utrinque duobus dentibus, qui huic ſunt proprii.*

TAB. LXXVI.

THEOBROMA foliis ſerratis. *Linn. H. Cl.* 379. *Roy. Lugdb.* 47.

Theobroma foliis oblongo cordatis, ſerratis, ab altero latere maioribus; fructu minore ſcabro. *Brovvn. Jam.* 306.

Guazuma arbor ulmifolia, fructu ex purpura nigro. *Plum. Gen.* 36. t. 18. a. *Burm. Plum. Americ.* 134. t. 144. f. 1.

Cenchramidea jamaicenſis, morifolia, fructu ovali integro, verrucoſo, intus in quinque cellulas, granula ficulneis ſimilia includentes, diſpertito, Balſamum olente. *Pluk. Almag. p.* 92. *Phyt.* t. 77. f. 2.

Alni fructu, morifolia arbor, flore pentapetalo flavo. *Sloan. Jam. Cat.* 135. *Hiſt. II.* 18. *Rai. dendr.* 11.

Nota. Plantam, cuius imaginem T. LXXVI ſtitimus, in inſula Jamaica, ubi in campeſtribus locis ſponte provenire ſolet, in arborem haud exiguæ magnitudinis excreſcere SLOANE in Hiſtoria naturali Jamaicæ, infra recenſenda, inprimis autor eſt. Eius PLVKENETIVS in *Almageſto* ſuo p. 92. nomine ſupra expoſito, mentionem fecit, & in *Phytographia* t. 77. f. 2. delineationem exhibuit. Tum *Hans* SLOANE ſibi in ſolo natali creſcentem viſam, in *Catalogo plantarum Jamaicenſium*, Hiſtoriæ præmiſſo, tantiſper nominetenus tantum p. 135 recenſuit; dum eius conſummatam deſcriptionem in Hiſtoria, infra citanda, adornandam tradere potuerit. Hunc ſequutus eſt RAIVS, qui noſtram in *Dendrologiam* ſuam p. 11. nomen a SLOANE impoſitum retinens transtulit. Non longe poſt PLVMIERVS in *novis plantarum Americanarum generibus*, a ſe conſtitutis, eius fructificationis partes t. 18. ſeorſim delineatas & p. 36 deſcriptas, nominibus, generico & ſpeciali, ſupra enumeratis, exhibuit. Rurſus *Hans* SLOANE in *Hiſtoria naturali Jamaicæ*, quæ 1725 Londini in folio prodiit conſtans duobus Voluminibus, Vol. II. p. 18 & 19. eius propoſuit ſynonyma, concinnavit deſcriptionem ſat accuratam, indicavit ſolum natalem & uſum, incolis Jamaicæ haud parvi ducendum. Dein Eques *de* LINNE Hort. Cliff. p. 379. eius non tantum immutavit nomen, verum etiam a vecte deſcriptionem, plantæ quam optime congruentem, unde inprimit claret, fructificationis partes Cacao, Theobromæ generi adſcripto, eſſe congeneres, quare & eandem generi Theobromæ, a Cacao foliis ſerratis, eidem integerrimis diſtinguens, adſignavit, & poſt dicto ſub nomine generico, differentia ſpecifica pariter indicata, nec non nomine ſpeciali Guazuma noviter ſuperaddito, tam in Syſtemate naturæ, quam in Speciebus plantarum pluries iam editis expoſuit.

BROWNIVS itidem Hiſtoriæ naturalis ergo inſulam Jamaicam ipſe aggreſſus, in *Hiſtoria civili & naturali Jamaicæ*, Londini 1756. in folio publicata, nomine ſupra indicato, Linnæano quoad differentiam ſpecificam non admodum diſſimili, addit auſus compendiaria deſcriptione, eius mentionem fecit. Sic etiam BVRMANNVS hanc noſtram cum fructificatione in *Iconibus Plumerianis*, a ſe publicatis, quas AVBRIET Pictor Regius a PLVMIERI originalibus, quæ in Bibliotheca Regia Pariſina ſervantur, depinxit, BOERHAAVIVS olim poſſeſſit, ipſe auctione publica haud exiguo pretio nactus eſt, & Publico in æs accuratiſſime inciſas, deſcriptione brevi & Synonymis inde cognitis ornatas, & in faſciculos collectas 1755. ſenſim communicare cœpit, faſciculo VI, qui 1757 prodiit, Tab. 144. f. 1. repræſentavit & p. 135, enumeratis ſynonymis, deſcriptione & obſervatione illuſtravit. Præterea quoque a HOVSTONO character eius fructificationis nitide delineatus eſt, quem EHRETVS e tabula eius ærea ſedulo depinxit & noſtræ imagini, mox memorandæ, inſeruit. Tandem TREWIO, imaginem Guazumæ, ab EHRETO pictam & communicatam, edere & iconibus ſuis ſelectis adiungere placuit; præſertim cum ex collatione iconum inde hactenus evulgatarum perſpiceret, nullam adhuc exſtare iconem, quæ noſtræ æquiparari poſſit. Nam & PLVMIERI delineationes, quamvis reliquis præcellant, cum & plantæ ipſius ramum floribus & fructibus fœtum, ad hæc & ſeorſim fructificationis partes repræſentent, noſtris tamen eſſe longe inferiores, ex primo intuitu iam patet. Nec enim ramulus fructum & florem ferens, nec organa fructificationi dicata, naturam exacte referunt, præcipue vero flos, cuius vel petala ſeta bicorni inſignia, vel ſetæ tantum una cum foliolis nectarii plane prætergreſſa eſſe videntur. Idem vero de noſtra icone perhiberi haud poteſt, cum & ramulus florens, & character fructificationis ſeorſim exhibitus, auctus *Houſtoniano*, qui itidem naturam non peſſime exprimit, & deficientem fructus interiorem ſtructuram ſupplet, naturam, quantum ex LINNÆI & BVRMANNI deſcriptionibus colligi poteſt, perbelle referant. Quamvis viciſſim negari non poſſit, quod ſtamina non omnino dictis deſcriptionibus reſpondeant, cum non in 5, ſed in 2. tantum, totidem antheris ornatos, findantur radios. Hæc in præſentiarum ſufficiant. Qui plura ſcire cupit, adeat recenſitos Scriptores, qui l. l. c. c. eius deſcriptionem & uſum avtopſia edocti tradiderunt; quibus & MILLERVS, qui in *Dictionario*, dum plantam deſcriberet, eius cultum quoque enarravit, addi meretur.

TAB.

TAB. LXXVII.

VERATRVM ſcapo fiſtuloſo ſquamoſo, ſpica ſtricta. *Ehret.*

Veratrum racemo ſimpliciſſimo, corollis patentibus, ſtaminibus longioribus. *Mill. Diction. n.* 4. *Ic.* 18. *tab. CCLXXII.*

Nota. Veratrum, cuius imaginem tab. LXXVII. delineandam curavimus, cum b. TREWIO ab EHRETO, qui idem depinxit, nomine proprio iconi ſubiuncto, ſit miſſum, & ipſe in litteris, 1759. d. 4. April. ad b. TREWIVM datis, ſignificaret, ſibi non ingratum fore, ſi icon nomine, ipſi indito, retento evulgaretur, hinc in planta adhuc dubia morem gerere haud dubitavimus.

Quantum ex citatis EHRETI litteris hac de reconſultis perſpicere, & iam ante coniecturis aſſequi potui, Veratrum noſtrum eſt quartum MILLERI, in *Dictionario hortulanorum* nomine ſupra expoſito recenſitum & deſcriptum, atque in iconibus rarioribus, per plagulas editis, tabula CCLXXII. a. 1758. d. 22. Dec. publicata delineatum. Qua in ſententia adhuc magis confirmatus ſum, cum ex EHRETI expoſitione iconi addita, & ex MILLERI deſcriptione iconi pariter adiuncta, perſpicerem, utramque plantam in Penſylvania ſponte provenire & Utrumque eandem a COLLINSONIO, in cuius horto botanico floruit, obtinuiſſe; quamvis & MILLERO eadem præter COLLINSONIVM a BENSELIO, præcipue vero a BARTRAMIO iuniori, qui hanc noſtram circa Philadelphiam Penſylvaniæ urbem primus detexiſſe fertur, cum eius icone ab Eodem in ſolo natali exarata communicata eſt. Nec impedit, quo minus easdem pro una eadem declaremus planta, quod Milleriana a noſtra racemo breviori, denſiori, magis ovato, floribus rubicundioribus, ſtaminibus longioribus, antheris cœruleo-purpureis, (noſtræ cœruleo-flavis,) foliis colore minus lucido tinctis, nervis minus conſpicuis, foliolis caulem ambientibus maioribus recedat; cum ſint in foliis, repugnante propria deſcriptione, color viridis male, nervi vero plane non expreſſi, & ego reliquam iconis utriusque differentem ſpeciem ſic conciliari poſſe arbitrer. Dum, prætergreſſis Chalcographis & Pictoribus, qui forſan ex parte culpari poſſent, racemi diverſam faciem tempori, quod eundem iuniorem contractum, adultiorem vero elongatum ſiſtit, tribuo; florum diſſimilem colorem, vel e ſolo natali, vel e climate, vel e diverſa floris ætate, vel ex aliis cognitis cauſis eundem vel diluentibus vel intendentibus, quinimo ſæpius immutantibus, explico; ſtaminum diverſam longitudinem e corolla, durante flore & incipiente iam fructu, adhuc increſcente, & ſtaminibus eiaculato polline, non ſolum non increſcentibus, ſed & decreſcentibus, unde ab initio corolla longiora, dein eidem æqualia, tandem & ipſa breviora videntur, ortum ducere ſuſpicor; & antherarum denique differentem colorem, ex antheris ipſis purpureo-cœruleo colore tinctis, intus polline flavo fartis, vel clauſis vel apertis, derivandum eſſe ſtatuo.

His præmiſſis iam alius eſt diſcutiendus ſcrupulus, an forſan Veratrum racemo ſimpliciſſimo, foliis ſeſſilibus *Linnæi*, in ſpeciebus plantarum ed. alt. tanquam tertium recenſitum, ibidemque luteum cognominatum, ſit idem, an plane a noſtro diſtinctum. Quem in ſcrupulum potiſſimum incidi, cum Linnæanam deſcriptionem in dictis *ſpeciebus plantarum* pariter occurrentem nec non eiusdem characterem ſpecificum cum noſtra icone conferrem, præterea & GRONOVII *Florum virginicam* noviſſime editam evolverem, & tam Synonyma ab ipſo & aliis exhibita quam deſcriptionem Claytonianam ſubiunctam itidem compararem, unde nihil LINNÆI *luteo* appropriatum noſtro, non congruum, præter floris diverſam colorem animadvertere potui. Accedit ad hæc, quod Millerianæ deſcriptiones ab utraque in *Dictionario* publicatæ, mihi non ſatis diſtinctæ viderentur, plurima enim eius potiora ſigna, quæ in rubedine floris, longitudine ſtaminum, radicis bulbo, & nervis foliorum minus conſpicuis, ponuntur, ab icone noſtra maxima ex parte infirmantur, quod & TREWIVM fortaſſe ad hanc noſtram edendam exſtimulavit. Dein & mirum mihi videbatur, quare LINNÆVS *Milleri* iconum alioquin pernoſcens, & plantarum ignotarum curioſiſſimus & attentiſſimus, iconis Veratrum noſtrum exhibentis, comitatæ eius deſcriptione, nec in *ſpeciebus plantarum* nec in *Syſtemate Naturæ* meminerit, cum eandem ipſi animadverſam non fuiſſe, ſit vix credendum; ſed potius augurandum, eundem dubium, quid de eadem ſit ſtatuendum, eam ſilentio plane præteriiſſe. Hæc dum mecum reputem, vix in cogitationem incidere non potui, quin noſtrum *luteum* haberem, niſi me MILLERI autoritas non omnino ſpernenda, diverſa patria attentione aliqua itidem digna, dein *lutei* facies nec ex planta ipſa vel viva vel ſicca, nec ex icone nota, & ad utramque plantam vel disiungendam vel coniungendam inprimis neceſſaria, eandem amplecti ſententiam retinerent. Præterea & cogitatio apud me invaleret, num forte Veratri americanarum ſpecierum par ſit ratio, quam europæarum, quæ ſibi ſunt perſimiles, ab americana vero ſpecie, tertia Linnæi, toto fere habitu aberrare videntur. Et hæc eſt præcipua cauſa, quare hac in re vix certi quicquam ſtatuere audeam, ſed potius alios exhortari cogar, ut velint, ſi ipſis luteum ad manus, comparando utrumque inquirere, an pro diſtinctis ſpeciebus, an pro varietatibus tantum, ſint cenſenda.

Cæterum adhuc monendum putavi, maſculos flores in MILLERI icone ſeorſim delineatos, hic prætermiſſos, nequaquam, quod in hac ſpecie deficiant, depictos non fuiſſe: ſed potius quod Ehretus, dum delinearet plantam, obiter tantum in eosdem inquirens, ipſos non animadverterit: Characterem vero *Veratri flore ſubviridi Tournef*, *albi Linn.*, idcirco ſubiunctum eſſe, quo L. B. conferendo utrumque perſpicere poſſit, in quo conveniant vel diſcrepent.

TAB. LXXVIII.

URTICA foliis alternis, cordato-ovatis, ſerratis; cymis dichotomis: maſculis inferioribus, nudis.

Nota. Urtica, cuius iconem Tabula LXXVIII exhibuimus, quantum tum ex EHRETI relatione & litteris, ad b. TREWIVM miſſis, tum ex libris botanicis noviſſimis, plantas Americanas & in ſolo natali creſcentes & in Anglicis hortis cultas recenſentibus, præcipue vero ex Pinace Linnæana hucusque colligere potui, a nemine nec indigitata nec delineata eſt. Unde b. TREWIVS forſan permotus eſt, ut eandem æri incidendam curaverit, quo Decadi ſuæ octavæ inſereretur. Idem vero & me, generis eiusque nominis, ex charactere fructificationis, in tabula citata & delineato & deſcripto, certum, incitavit, qui plantæ proprium adcommodarem characterem ſpecificum, noſtram a reliquis iam cognitis ſpeciebus diſtinguentem. Quo aptiorem vero conſtituerem, hinc tam EHRETI ad TREWIVM tranſcriptam brevem relationem & explicationem, quam imaginem ipſam ad nativam effigiem expreſſam, ſedulo conſului.

Prius vero, quam ipſas ſignificem cauſas, quæ me potiſſimum permoverunt, ut talem ipſi adornarem differentiam ſpecificam, qualem iam ſupra exhibuimus, & in icone fere ſubiunximus, neceſſum duxi EHRETI de planta relatus, 1760 communicatos, præmittere. Qui ſic ſe propemodum habent.

:Hæc planta, quæ eſt Urticæ fruteſcens ſpecies, paucis abhinc annis ab Equite WILLET, ex Inſula St. Chriſtophori, ubi ſponte creſcere ſolet, in Angliam translata, & ab Eodem in *Dorſetchire*, ubi ipſi eſt hortus rarioribus plantis inſtructus, & cuius in Caldario eandem reperi florentem, culta eſt.

Eadem in fruticem 5 pedum altitudine excreſcit, dispartiturque ad modum figuræ minoris, totam plantam ſiſtentis, in ramos plures, cinereos, tetragonos. Ubi folia defluxerunt, prodeunt flores, vel maſculi vel fœminei: floribus

fœmineis ramorum ſuperiorem, maſculis inferiorem occupantibus locum. Cæteroquin pedunculi flores ſuſtinentes ſunt dichotomi, folia obſcure viridia, permultis tenuibus pungentibus aculeis obſita; etiamſi eadem attacta levem tantum excitant dolorem: Hæc EHRET.

Cum iam ex multoties citati EHRETI deſcriptione & delineatione animadverſu non ſit difficile, plantam noſtram a reliquis cognitis eius congeneribus ſpeciebus potiſſimum differre: quod pedunculi, ſæpius ſe diſpeſcendo in duos minores divaricatos, qui in ſummitate tandem absque ordine ſolvantur in minimos, ſuſtentantes flores ſuperficie fere æquali, efforment cymas, floſculorum vel maſculorum tantum, vel fœmineorum feraces: quæ, quum ſint maſculæ, teneant inferiorem ramorum locum foliorum plane expertem, fœmininæ vero ſuperiorem, foliis: iisdem interſertis, quodammodo tectum: Hinc & characterem ſpecificum deſumere, nullus dubitavi, inſuper addens foliorum figuram & ſitum mutuum, nec non ſerratam marginem, quo inter congeneres ſpecies ſuo in loco locari poſſit.

TAB. LXXIX.

CROTALARIA foliis ternatis lanceolato-ovatis, caule lævi herbaceo, racemo terminali, LINN. H. *Cliff.* 499. *Spec.* 1006. *Roy. Lugdb.* 375.

ANONIS caroliniana perennis non ſpinoſa, foliorum marginibus integris, floribus in thyrſo candidis *Mart. rar.* 44.

Nota. Crotalaria noſtra carolinæ eſt incola, cuius delineationem & quidem coloribus vivis ornatam, plantæ perbelle reſpondentem, exhibuit MARTYN in *Hiſtoria Plantarum rariorum* (quæ prodiit Londini 1728) p. 44. in tabula proxime adſtante, quum p. c. eius nomen iam ſupra recenſitum, & deſcriptionem tam plantæ ipſius, quam culturæ, ſiſteret.

Eques de LINNE eius in *horto Cliffortiano*, dein in ſpeciebus plantarum ed. alt., Claſſi *diadelphiæ*, Ordini *Decandriæ* & Generi *Crotalariæ* adſcriptæ, differentia ſpecifica ſupra expoſita, cognomento *albæ*, mentionem fecit. Eandem & ROYEN in *Prodromo horti Lugdunobatavi*, nomen genericum & ſpecificum, a LINNÆO inditum, retinens & leguminoſis ſuis irregularibus accenſens, recenſuit.

Cum iam a MARTYNO eius imago & quidem ad nativam effigiem fuerit deſignata, noſtræ certe ab EHRETO ante plures iam annos communicatæ non fuiſſet adornata publicatio, niſi noſtra icon Martinianam adhuc præcelleret, & character fructificationis illic, ſi ſiliquam & ſemina excipias, omiſſus, fuiſſet hic exacte & ſeorſim repræſentatus; etſiamſi in noſtro adhuc deſiderari poſſit, quod petala corollæ non fuerint ſolitarie exhibita, præſertim cum iuxta MARTINVM in Vexillo corollæ ad unguem flavicantem ſint punctula purpuraſcentia conſpicienda, præterea & carinam dipetalam eſſe oporteat, quum Corolla a dicto MARTYNO deſcribatur pentapetala. Quod Martiniana vero noſtra ſit inferior, non ſolum ex charactere fructificationis, maxima ex parte deficiente, ſed etiam ex coloribus, vivam plantæ faciem referentibus, colligi inprimis poteſt. Nam tum perianthium ex viridi albo & rubro variegatum, tum folia ſupra læte viridia, infra glauca, tum legumen extus cœruleſcens, intus roſeum eiusque ſemina flavicantia minus accurate in eadem exprimi, eſt facile viſu; quamvis & inſuper ex ipſius inſpectione & comparatione cum noſtra pateat, in plantæ imaginem ipſam eiusque partes nitide exprimendas, tantum operæ & curæ, quantum in noſtram, non fuiſſe inſumtum.

Cæteroquin nec reticendum puto, quod ſtamina in noſtra ſint filamentis nequaquam, uti in claſſe & genere alias fieri ſolet, coalita, ſed potius ſecundum EHRETI obſervationem & delineationem ab exortu diſcreta; tum quod calix non ſit trifidus ſed quadrifidus, uti a MARTYNO & EHRETO tam deſcriptus quam delineatus eſt; dein quod vexillum corollæ ſit profunde inciſum, quod Martinianæ deſcriptioni & delineationi eſt itidem conforme; tandem quod & legumen ſit longiuſculum & ad rhombeam figuram non nihil accedat. Unde generis Crotalariæ cum Ononide, ab eodem perianthio quinquepartito, filamentis in cylindrum integrum connatis, legumine rhombeo, villoſo, ſeſſili, ſeminibus reniformibus recedente, perſpicitur affinitas & Naturæ ad variandum proclivitas.

TAB. LXXX.

BYTTNERIA ſcabra? *Læſl. It.* 313. *Linn. Spec.* 284. *Jacq. Hiſt. Amer.* 76.

Nota. Planta, cuius delineationem ab EHRETO deſignatam tabula LXXX. exhibuimus, eſt Americæ incola, cuius vero regionis me fugit, cum ab EHRETO in icone originali non fuerit indicatum, & litteræ Eius huc pertinentes fuerint amiſſæ.

Quantum ex brevi relatione, imagini adſcripta, intelligere potui, eadem florens a dicto EHRETO, plantarum rariorum cauſa ſingulos celebres perquirente hortos, in Caldario horti lib. Bar. de PETER, plantarum rariorum, inprimis americanarum, quarum erat amantiſſimus, inſtructiſſimi, reperta, ibidemque depicta eſt.

Quamvis in plantæ huius icone examinanda, cum in eruendo eius ſtructuram & characteres inde petendos, tum in conferendo cum aliis iam cognitis plantis haud vulgarem locavimus operam, nullam tamen offendimus, quæ noſtram exacte referret: Nec mirum, cum ex litteris a b. TREWIO conceptis ad EHRETVM datis, & ex aliis ſchedulis ab ipſo relictis haud difficile fuerit intellectu, quod ipſe ignorarit, an cognitis iam, an incognitis ſit accenſenda; qui tamen haud vulgari plantarum cognitione præditus eſſet, & cæteroquin libris botanicis omnis generis, quorum erat pergnarus, circumflueret.

Interim tamen, quum de hac planta, ad ſemitas forſan, aliarum ſarmentacearum more, poſita, nec adeo parva, ſit vix credendum, quod a Botanicis neotericis, plantas americanas in ſolo natali conquirentibus, fuerit prætervisa, & Angliæ alumna facta, a Botanicis eiusdem non animadverſa: hinc incidi in opinionem an forte *Byttneria ſcabra* eſſet? Quam LOEFLINGIVS primo per Regis Hiſpaniæ americanas ditiones iter faciens detexit, & nomine ſupra recenſito deſcripſit, deſcriptione eius *Itineri hiſpanico*, a LINNÆO poſt mortem ipſius edito, app. ult. p. 313. inſerta. Quam dein IACQVIN 1760. in Enumeratione ſyſtematica, ſiſtente plantas americanas vel plane novas vel non ſatis cognitas, in Inſulis Caribæis vel Americæ continente viſas, *Chætæ aculeatæ* nomine, p. 17. exhibuit, in *Hiſtoria* vero, quam poſthinc edidit, cum prius reſciret, quod LOEFLINGII *Byttneria ſcabra* eſſet, cuius antea fuerit neſcius, nomine eius adoptato, ſuo miſſo, denuo accuratiſſime deſcripſit una characterem fructificationis accuratius, quam a LOEFLINGIO factum eſt, extricans. Unde & LINNÆVS characterem genericum in genera plantarum noviſſima transſumſit, nomen genericum & ſpecificum a LOEFLINGIO inditum tum in dictis *generibus*, ubi genus exhiberet, tum in *ſpeciebus*, ubi ſpeciem indicaret, tum in *ſyſtemate Naturæ* noviſſime edito, ubi utrumque ſiſteret, retinens.

Ideo vero in hanc potiſſimum adductus ſum opinionem, cum ex memoratis ſcriptoribus perſpicerem, quod noſtra ab ipſius habitu, magnitudine & fructificatione non multum abluderet. Nam ad trium pedum & aliquot unciarum altitudinem, in Caldario alta exſurgit. Sarmentoſarum more caule & ramis gaudet angulatis, ſulcatis, aculeis brevibus, recurvis, undique muricatis. Rami prodeunt alternatim foliis laterales. Folia ſunt glabra, ovata, acuta, ad apicem ſubſerrata, petiolata: petiolis & foliorum coſta media dorſuali aculeatis. Axillæ fulciuntur aculeis (vel ſtipulis) duobus ſurſum arcuatis. Pedunculi unus, duo, forſan & plures ex axillis foliorum ſeu ad eorum latera, & uti

&, uti videtur, ex ramorum ſummitatibus proveniunt, diviſi in plures minores, qui baſi cinguntur foliolis inſtar umbellularum, & qui gerunt flores, quorum Character fructificationis iuxta EHRETI delineationem & deſcriptionem ſic ſe habet.

CAL. *perianthium* quinquepartitum, ſubcoloratum: laciniis patentibus, lanceolatis.

COROLL. vel nulla, vel coalita cum filamentis.

STAMIN. *filamenta* lata, brevia, conniventia, apice obtuſa; *retrorſum* terminata in *ſetas* purpuraſcentes ſubcraſſulas, erecto patentes, calyce fere longiores; *antrorſum* in *antheras* duas ſ. quatuor, bifidas, purpureas.

NECTAR. monophyllum quinquepartitum: laciniis ſagittatis.

PISTILL. *Germen* ſubrotundum, pentagonum. *Stylus* brevis. *Stigma* acutum.

Unde potiſſimum cuique, noſtram cum ſupra citatis LOEFLINGII & IACQVINII deſcriptionibus conferenti, liquebit, noſtram imaginem ab Eorundem deſcriptionibus potiſſimum differre: quod aculei illi maiores, axillis adſtantes, tantum in noſtra adſint, petala deſint, ſtamina, præſertim eorum antheræ, & nectaria, horum deſcriptis minus reſpondeant, loco pedunculorum plurium & aggregatorum animadvertantur unicus, ad ſummum duo, & hi non racemorum, ut IACQVIN aſſerit, ſed ut LOEFLINGIVS putat, umbellarum more ſubdiviſi; & quæ ſunt reliqua diſcrimina. Unde propemodum, & in genera diſtingui debere, videri poſſet. At vero hæc memorata diſcrimina etiamſi noſtram a dicta dirimere videantur, tamen eius deſcriptionibus aliquatenus conciliari poſſe & debere autumno: & quidem debere, cum nulla huic propinquior adhuc ſit cognita, præterea & totus habitus nec non floris ſtructura, ſingulari Byttneriæ analoga, id ſuadeant: itemque poſſe, cum plurima & maximi momenti diſcrimina in floris minoribus partibus obveniant, & hæ dictæ partes ob floris intricatam ſtructuram eiusque parvitatem & nexum difficile iam poſſint diſplicari, difficilius vero adhuc depingi. Nam præſertim petala, nectaria & ſtamina, quæ ſingula perparva ſunt, ſic inter ſe cohærent, ut LOEFLINGIVS, ad id probe inſtitutus, in iisdem deſcribendis hallucinatus eſſe videatur, quid inde mirum, ſi EHRETVS in iisdem depingendis offendiſſet, ut petala & ſtamina pro ſtaminibus tantum delineaſſet? Nec ideo diſcrimen, quod ab antherarum numero, ut videtur, multiplicato deſumi poſſet, attendendum eſſe cenſeo, quum dictæ antheræ cum aliis partibus, quibus cohærent, ut per lentem vitream conſpiciuntur, ſint delineatæ indeque magnitudine adauctæ, & propterea, quamvis harum binæ tantum ſingulo inſideant filamento, tamen, quum hæ rurſus ex deſcriptione IACQVINII ſint bifidæ, & accedat, quod ſint rotundæ, quatuor quin plures, cum partes rurſus in plures forte loculos diſpescantur, videri poſſent. Et hinc pariter illud forte diſcrimen, quod a nectarii diverſa figura peti poſſet, ortum duxiſſe putandum eſt, quod itidem ut microſcopio conſpicitur, ſit delineatum, unde aliam prorſus induere potuit figuram, oculis nudis ob parvitatem non agnoſcendam. Quanquam id, quod facile fateor, nondum introſpicere potui, quomodo a ſtaminibus ſeparàri potuit, ut ſtamina petalis incumbentia permanerent, cum eius laciniæ ſunt his mediantibus ad dimidium usque concretæ Adeſtne hinc forſan præter vulgare deſcriptum adhuc aliud minus figura noſtrum referens: an differt hæc noſtra planta ab altera deſcripta, quod abnuere plane non vellem, ſpecie? Idcirco vero ſetulas illas duas, maioribus in ſummitate adnatas, quæ in noſtra icone deeſſe videntur, & unde itaque itidem differt, plane omitto, quod facile potuerint, propterea quod ſint reflexæ & forſan maioribus appreſſæ, prætervidi, aut ob varias cauſas nondum adeſſe, vel plane deeſſe, unde & a LOEFLINGIO, ut opinor, memoratæ non ſunt. Nec hæreo de iſtis duobus aculeis, foliorum axillis adſtantibus ſurſumque flexis, quorum apud IACQVINIVM & LOEFLINGIVM nulla fit mentio: Quod poſſint forſan, cum tota planta minoribus horreat, & ipſi in iunioribus plantis ſint minores, demum ætate ad hanc magnitudinem adcreſcentes, minus incurrere oculos, vel idcirco omitti, quum fuerint ſtipulæ lineares, erectæ, patentes, quales in *Rubo Cæſio L.* conſpiciuntur. Quod poſterius mihi porro exinde probatur, cum his analoga foliola flores adhuc tenellos nondumque evolutos, quales in ſummitatibus ramulorum conſpiciuntur, ſepiant, quæ, iisdem evolutis, defluere videntur. Multo minus adhuc angor de reliquis diſcriminibus, quæ ex Byttneriæ deſcriptionibus & noſtra figura inter ſe collatis advertuntur, ob id, quod maxima ex parte referri poſſint vel ad *ætatem*, quæ plantam, ut ex foliis patet, mirifice mutare videtur, vel ad *culturam*, cum noſtra in ſolo alieno, a patrio, ut facile perſpicitur, toto cœlo differente alta, & calore ignis intra Caldarium fota, adoleverit, & tandem eruperit in florem; unde itidem ſuam nonnihil mutare potuit faciem.

TAB. LXXXI.

MELANTHIVM (VIRGINICVM)

petalis unguiculatis. *LINN. Spec.* 482. *n.* 1.

MELANTHIVM foliis linearibus integerrimis, longiſſimis; floribus paniculatis. *GRONOV. Virg.* 59.

ASPHODELO affinis floridana, ramoſo caule, floribus ornithogali obſoletis. *PLVK. Almath.* 40. *t.* 434. *f.* 8.

Nota. Planta, cuius imaginem, ab EHRETO delineatam, & ab eodem b. TREWIO transmiſſam, in tabula LXXXI. exhibuimus, haut dubie MELANTHIVM Virginicum eſt, quamvis nomen, ab EHRETO imagini adſcriptum, huc referri non poſſit; nam pro Ornithogali ſpecie habuit: Verum quod dictum MELANTHIVN ſit PLVKNETI icon, nomina, deſcriptiones & aliæ circumſtantiæ, infra uberius explicanda, ſatis ſuperque probant.

Huius haud ſpernendam delineationem PLVKNETIVS in *Phytographia* t 434. fig. 8. nomine ſupra indicato, primus dedit, exhibens caulem floridum, aliquantum ſupra radicem abruptum, noſtri, quantum videre eſt, non diſſimilem. Terminatur enim in plures racemos unum maximum terminalem, & alios laterales minores, quorum pedioli ſunt rectangulares proportionaliter magni, diſtantes, fulti bracteis parvis, lanceolatis, acuminatis. Flores, qui his ſolitarie inſiſtunt, ſunt patentes; Petala lanceolata; & horum ungues attenuati: Sed foliola caulina, quorum aliquot tantum ob parvitatem caulis delineantur, quæ ſunt verſus baſin & in medio hinc inde contractiora, quemadmodum & caulis, qui modo craſſeſcit, modo gracileſcit, ea noſtræ figuræ minus ſimulant. Hanc dein GRONOVIVS ex *Virginia* ipſa a *Claytonio* nomine: *Nigella flore obſolete flavo, ſemine alato, foliis gramineis* acceptam, l. c. nomine ſupra propoſito, tanquam eius regionis incolam indicavit. Inde LINNAEVS eandem in *ſpeciebus plantarum*, differentia ſpecifica & nomine triviali ſupra nominatis, exhibuit. Cuius modo dictam differentiam ſpecificam etiam GRONOVIVS, in *Floræ ſuæ virginicæ editione ſecunda*, quæ prodiit per filium (*Laurent. Theodor.*) 1762. proprium ſeponens nomen uſurpavit.

At vero cum horum nullus hactenus nec alius quisquam, quantum novi, eius accuratam dedit vel deſcriptionem, vel delineationem; hinc non erit, quod excuſem, cur iconem hanc noſtram non peſſime, ut videtur, delineatam, publici iuris facere decreverim; quinimo ſperare poſſim, me eo apud Botanophilos initurum gratiam.

Cum ſupra iam promiſimus, nos rationes amplius explanaturos eſſe, quare Melanthium Virginicum eſſe autumemus: iam noſtrum erit hoc exequi. Prius vero quam proferam rationes, quæ me perpulerunt, ut Melanthium Virginicum putaverim, dicenda eſt ratio, quare Melanthium habuerim. Cui in totum quidem ſuperſedere poſſem, niſi LINNAEVS nectarium, quod ſingulis petalis ineſſe ſolet, cuius alioqui ſedulus fuit indagator & accuratus deſcriptor, & unde *hic ipſe* ſæpius characterem eſſentialem deſumſit, tam in charactere generico, quam extra eundem. puta in obſervatione, quam in id ſæpius annexit, ut ſuppleret, quæ in charactere ipſo prætermittenda erant, omnino reticuiſſet, & niſi EHRETVS in icone ſua tale indicaſſet nomen, unde in verum eius concludere non liceret. Ideo vero pro Melanthio habui, cum nullum aliud reperire potui genus, cuius Character melius in noſtrum quadret, & accedat ad hoc, quod quamvis in generibus plantarum dicti nectarii ne verbo quidem iniiciatur mentio, tamen idem tale, quale fere in noſtra eſt, in deſcriptione & delineatione M. Sibirici, quarum utraque in *Amœnit. Acad. Volum. II. p.* 320. *n.* 11. *t.* 4. *f.* 11. *a.* exſtat, ab eodem exhibeatur, & taliter etiam in ipſo Virginico ab HILLIO, qui eius characterem genericum in *Hiſtoria plantar. univerſal. p.* 391. ſtetit, deſcribatur. At nunc itidem mihi exponendæ veniunt rationes, quare Virginicum putem, etſi & huic ſuperſedere poſſem labori, dummodo ungues petalorum, quibus a Sibirico diſtinguitur, clarius in oculos incurrerent.

Rationes vero, quæ mihi hoc probant, præcipue ſunt: primum, quod ungues, etiamſi minus elongati & attenuati delineari videantur, tamen non deſint; ut ex icone noſtra attentius inſpecta iam conſtat, & ex ſtaminibus & nectariis, non baſi petalorum, ſed laminarum, ſeu ſupra ungues inſertis, porro patet. Dein, quod PLVKNETII figura cum noſtra non peſſime congruat; unde eandem iam ſupra ample deſcripſimus. Tum quod character genericus, ab HILLIO de hac planta exhibitus, a noſtro, exceptis unguibus, minus abludat: præcipue vero GRONOVII deſcriptio brevis, quam in Flora Virginica dedit, optime cum noſtra icone, conveniat: nam noſtræ quoque ſunt Folia perlonga, graminea figura tritici vel hordei; præterea tenuia, debilia, integerrima ſtricta. Caulis culmo analogus, pedalis. Flores paniculati ſive potius, quantum ex noſtra icone & illa PLVKENETIANA perſpicere puto, compoſite racemoſi. At quod Flores ſint ſexu diſtincti, ut ab eodem perhibentur, noſtræ iconi minus reſpondet, ubi omnes pinguntur hermaphroditi, niſi hi ſint pro femininis habendi, quod ex HILLIO l. c. præcipue colligo, qui titulo fœmineorum nullos alios deſcripſit, quam noſtros hermaphroditos, inde vero, alia planta mere maſculos ferens ut exſtet, neceſſe eſt.

Iam ſubiungere placet deſcriptionem plantæ totius, quam ad iconem noſtram delineavimus, ut ulterius conſtet, quibus notis a Sibirico, ipſi valde affini, diſtinguatur.

RADIX? Herba graminea. CAVLIS ſtrictus, pedalis, nonnumquam bipedalis, ſimplex, gracilis, cylindraceus lævis. FOLIA graminea, linearia, enſiformia, ſeſſilia, carinata, ſtricta, in acumen ſubulatum deſinentia. Radicalia conferta, ut plurimum decumbentia, fere longitudine caulis. Caulina rara, alterna, fluitantia, amplexi caulia, quo altiora, eo minora. Modus florendi compoſite racemoſus. RACEMI plures: unus terminalis maximus: alii laterales, patentes, breviores. Pedioli parvi, patentes, magnitudine, & diſtantia proportionata, uniformi. Bracteæ parvæ lanceolatæ, lineares, acuminatæ, coloratæ, pediolis ſingulis ſubiectæ. FLOS egrege liliacearum coronariarum. COROLLA hexapetala, nivea, erecte patens: Petalis obovatis, unguiculatis. Nectarium unicum in ſingulo petalo a tergo ſtaminis, cordatum, humido luteo ſplendicante madidum. STAMINA ſex, petalis ſupra ungues inſerta, arcuatim erecta, (perſiſtentia) petalorum magnitudine. Filamenta ſubulata. Antheræ luteæ, ſubrotundæ. PISTILLI Germen trigono-ovatum. Styli tres, recurvi. Stigmata ſimplicia. PERICARPIVM? SEMINA?

Unde iam clarum erit, noſtrum præcipue a Sibirico foliis ſeſſilibus, longioribus, confertioribus, decumbentibus, Caulinis pluribus, Floribus compoſite racemoſis, Petalis unguiculatis, Staminibus perſiſtentibus (autore LINNAEO, in obſervatione Sibirico ſubiuncta) & ut ex HILLIO & GRONOVIO colligo, Floribus polygamis differre.

TAB. LXXXII.

PERIPLOCA (Cynanchum) foliis cordato-oblongis.

CYNANCHVM (acutum) caule volubili, foliis cordato-oblongis glabris. *LINN. Hort. Cliff.* 79. *Upſ.* 54. *ROTEN Lugdbat.* 409. *HILL. Hiſt.* 310.

PERIPLOCA Monſpeliaca, foliis acutioribus. *TOVRNEF. Inſt.* 93. *BOERH. Lugdb. I.* 315.

PERIPLOCA prior DODON. *Pempt. p.* 408.

ASCLEPIAS (APOCYNVM) ſcandens, foliis convolvuli, purpurascente flore *Hort. Carlsrub. FABRIC. Helmſt. p.* 255.

APOCYNVM III. latifolium *CLVS. Hiſt. I. p.* 125.

APOCYNVM latifolium amplexicaule *BAVH. Hiſt. II. p.* 135.

VINCETOXICVM volubile, foliis acutioribus. *RVPP. Ien.* 28.

SCAMMONIAE, monſpeliacæ affinis, foliis acutioribus *BAVH. Pin.* 294.

SCAMMONII monſpeliaci varietas. *LOB. Hiſt.* 341.

Nota. Huius plantæ prima, ut puto, icon apud DODONAEVM in *Hiſtoria* ſive *Pemptatibus Stirpium* nomine Periplocæ prioris exſtat, quæ cum noſtra convenit, niſi quod eius floribus ſit foliolum adpictum, quod neque in planta ipſa nec in icone noſtra conſpicitur; cæterum radices, caulis, folia, ſed nondum aperti, vel denuo clauſi, non male exprimunturl Tum dicta icon a LOBELIO in *Hiſtoria Plantarum* vel *Stirpium* (pag. ſupra citat.) exhibita eſt. Dein a CLVSIO, l. c., qui ipſi nomen indidit Apocynum III latifolium & accomodavit deſcriptionem haud inconcinnam, primam de hac planta hoc titulo dignam. Unde tranſiit cum deſcriptione in IOH. BAVHINI *Hiſtoriæ Plant. univerſ.* Tom. II. pag. 135 nomine ſupra indicato. Plantæ porro HERMANNVS, TOVRNEFORTIVS & BOERHAAVIVS l. l. ſupra cc. & no minibus ibidem enumeratis, meminerunt. Poſt LINNAEVS eandem in *Horto Cliffortiano* p. c. memoravit nomen proprium, & genericum, & ſpecificum illi indens, quod utrumque in *Horto Upſalienſi* & in *ſpeciebus Plantarum* retinuit. Utrumque etiam ROYENVS, dum in *Prodromo Floræ Leydenſis* dictam plantam enumeraret, tum HILL. & MILLER, dum uterque, prior in *Hiſtoria Plantarum univerſali*, alter in *Dictionario hortulanorum*, characteri generico præmiſſo ipſius deſcriptionem adnecterent, adoptaverunt. Eam inſuper in *Catalogis* ſuis SIEVERT & FABRICIVS, prior ſub nomine generico Apocyni, alter Asclepiadis, uterque eodem ſpecifico narrarunt, cui *poſterior* partium fructificationis amplam ſubiunxit deſcriptionem.

Verum

Verum enim vero cum ex his præmiſſis conſtet, quod eius nullæ aliæ adhuc extenticones, præterquam illæ, quas publicarunt DODONÆVS, LOBELIVS, CLVSIVS & IOH. BAVHINVS; & hæ omnes pro una tantum ſint habendæ, cum trium illorum, quos prius nominavimus, icones exiv erint ex Typographia *Plantiniana* ad eandem ſculptam imaginem ſive archetypum factæ, & illa BAVHINI, quem ultimo memoravimus, ſit ad ectypum, quod Cluſius ſiſtit, imitatione expreſſa, unde penitus inter ſe conveniunt; præterea vero & hæ, quamvis ſperni non poſſint dum habitum plantæ belle referant, tamen cum breviores & rudiores ſint, quam ut plantæ partes, præcipue minores, rite inde cognoſci poſſint, præter hæc nec coloribus vivis pictæ, nec character fructificationis ſeorſim exhibitus: hinc nec inutile nec ſuperfluum putavi, noſtram promulgare imaginem, quæ etiamſi totam non ſiſtat plantam, ſed tantum ramulum, tamen præter eum & ſeorſim exhibeat pedunculum, flores explicatos ferentem, itemque folia ſolitaria, utraque nili in magnitudine adaucta, tamen e planta vulgari maiori, (forſan e tali, quæ quatuordecim pedum altitudinem attigit, quod in eadem planta nonnumquam fieri, EHRET refert;) quibus porro, quod omnium caput eſt & attentione præprimis dignum, fructificationis character, præter fructum, ſecundum omnes ſuas partes nitidiſſime & veriſſime, uti florem plantæ vivæ examinando didici, delineatus acceſſit, & id quidem, ut partium floris intricata compages earumque vera ſtructura non ſolum clare inſpici poſſint, quapropter etiam partes minimæ oculo fere ſubterfugientes, per microſcopium auctæ, exhibitæ ſunt, ſed etiam ut præconceptam de eodem ideam corrigat ac emendet, cum non illum Cynanchi, ſed alius, &, ut ego puto, Periplocæ vel eius valde affinem repræſentet. Nam EHRET iam probe perſpexit, quod flores noſtræ plantæ, pro Cynanchi ſpecie habitæ, cum eius charactere generico, a LINNÆO in generibus plantarum dato, minus congruant, quare etiam hanc totam pinxit imaginem, & in delineandis & extricandis floris partibus tantam adhibuit diligentiam & accurationem. Ipſum vero, ut ſtatueret quod Cynanchi generis non ſit, potiſſimum permovere glandulæ illæ quinque, Stigmati inſidentes, pro antheris ob ſimilitudinem, & quod veras caſſas putaret, ipſi habitæ, unde eandem LINNÆI Gynandris potius quam Pentandris accenſendam exiſtimavit, & inde itidem dignam, quæ novum conſtitueret genus; præſertim cum plurimæ reliquæ floris partes iisdem Cynanchi non reſpondeant. Et hæc varians floris ſtructura iam b. TREWIVM, ut puto, perduxit, ut iconem ſeponeret, nos vero, ut præ aliis ſeligeremus, quo his ſelectis iconibus intermiſceretur; equidem non ea mente, quaſi novum conſtituere genus putaremus, ſed potius quod eius Characterem fructificationis non Cynanchi ſed Periplocæ affinem intelligeremus. Quo noſtram vero ea de re magis diludicare poſſimus ſententiam, hinc Characterem ſtuctificationis ſeu potius floris, cum fructus deſit, qualem noſtra icon exhibet, & qualem ex plantæ vivæ floribus cognovimus, nunc delineabimus.

CALYX ſeu *Perianthium* parvum, planum, quinquepartitum: laciniis linearibus, ſubacutis.

COROLLA monopetala, rotata, plana, quinquepartita: laciniis lanceolato-linearibus, ſubacutis

Nectarium parvum, baſi Corollæ circummatum ſubcylindraceum, quinquedentatum: dentibus utrinque uno minori, & ex adverſo & ab intus alio cuspidato prædítis.

STAMINA ex baſi nectarii quinque. *Filamenta* craſſiuscula, arcuata, Stigmati appreſſa. *Antheræ* duæ, membranaceæ (laterales, ut puto): apicibus inflexis, ſummitatem Stigmatis fere obtegentibus.

PISTILLI *Germina* duo, oblonga. *Stylus* vix ullus. *Stigma* unicum, capitatum, quinquangulare; in *ambitu nectariolis* quinque coloratis, antherarum analogis, oblongulis, bifidis; *in medio apiculis* duobus, (qui ſunt, ut opinor, vera Stigmata) præditum.

Iam vero ex charactere floris, quem modo dedimus, patere puto, quod omnino eius fructificationis Character propius ad illum, a LINNÆO de Periploca datum, quam ad hunc, ab Eodem de Cynancho exhibitum, accedat; cum nec calyx nec corolla admodum abludant, nectarium ſit perſimile, ſtamina non diſſimilia, & piſtilla analoga, præcipue vero ſtigma, in hoc genere ſingulare, mihi loco characteris eſſentialis, admodum reſpondens: puta orbiculato-quinquangulare, glandulis quinque ſubpetiolatis, oblongulis obſeſſum; præterea nec penitus deſint filamenta illa quinqne incurva, intra nectarium locata, a ſtaminum filamentis diſtincta & laciniis Corollæ alterna, quum vicem gerant cornicula illa 5, e baſi nectarii exſerta, ſitu dictis reſpondentia, forſan in eiusdem generis aliis pluribus ſpeciebus itidem taliter conſtituta. Unde nunc porro rationem liquere puto, quare eiusdem nomen genericum, a LINNÆO ipſi inditum, ſed definitioni eiusdem minus reſpondens, cum dicto, cuius character propius ad noſtrum accedit, permutare coacti ſimus.

Ill. FABRICIVS, quem olim Præceptorem venerabamur, nunc Fautorem ac Amicum, iam itidem perſpexit, quod planta, cuius imaginem ſtetimus, neutiquam ad genus Cynanchi, ſed ad aliud pertineat, unde eidem in *Enumeratione Stirp. Hort. Helmſt.* p. c. aliud nomen genericum impoſuit, & amplum floris ſubiunxit deſcriptionem: Verum non generi Periplocæ ſed Asclepiadi adnumeravit; ob id potiſſimum ut puto, quod antherarum inflexos & inter ſe fere contingentes apices pro corpuſculo truncato, antheras dupliees membranaceas arcte ſtigmati incumbentes proſquamis rimis fatiſcentibus, nectariola ſpatiolis, iisdem interiectis, non numexſerta pro veris antheris, & nectarium corollæ, ob parvitatem difficile extricatu, & ob apiculos illos multum cum corpuſculis illis auritis, corniculum exerentibus, affinitatis alentibus pro iisdem haberet. Unde perfacile fuit dicto genere confundere, & propemodum autoritate VIRI exactiſſimi permotus, meam abieciſſem ſententiam, & ad Eiusdem abiiſſem, præſertim, cum ſiccata planta eius aſſertioni uire verificaretur, niſi ex plantæ vivæ flore adhuc pernoviſſem, quod fructificationis Character ita ſe haberet, quemadmodum in icone noſtra depicta eſt.

TAB. LXXXIII.

PONTEDERIA foliis cordatis, floribus ſpicatis. *LINN. Spec.* 412. *MILL. Dict.*

Pontederia floribus ſpicatis. *LINN. Hort. Cliff.* 133. *GRONOV. Virg.* 37. *ROYEN Lugdb.* 37. *COLD. Noveb.* 69.

GLADIOLVS lacuſtris virginianus cœruleus, Sagittariæ folio. *PLUK. Gazoph. I. p.* 4. *n.* 12. *t.* 1. *f.* 12.

SAGITTARIÆ ſimilis planta paluſtris virginiana, ſpica florum cærulea. *Baniſt.* MORISON. *Hiſt.* 3. *p.* 618. *ſ.* 15. *t.* 4. *f.* 8.

PLANTAGINI aquaticæ quodammodo accedens, foliorum auriculis amplioribus retuſis, floribus cæruleis hyacinthi ſpicatis. *PLUK. Mant.* 152, *t.* 349. *fig. ult.*

Nota. Botanici, qui huius Plantæ imaginem in ſcriptis ſuis exhibuerunt, fuerunt PLVKNETVS, MORISONVS, & PETIVERIVS, qui omnes eandem ll. ſupra cc. non peſſime expreſſerunt; ſi excipias quod ſingulæ icones ſint iuſto minores, & illarum, quas PLVKNETVS & PETIVERIVS adornarunt, folia anguſtiora floresque ad totam figuram grandiores. Inde nullus eius publicavit imaginem, ſed plures eius in libris ſuis mentionem fecerunt, dum vel regionis alicuius incolam, vel horti alicuius alumnam ſiſterent, aut in charactere nominibusque condendis eſſent occupati. Inter quos poſteriores præcipue eminet Illuſt. LINNÆVS, qui in generibus plantarum eius characterem genericum exhibuit ipſique proprium & novum adaptavit nomen a Pontedera Botanico, tum ob plura laude digna quæ ediderat ſcripta, tum quod in Gymnaſio Patavino multo cum applauſu Botanicam ipſam profitebatur, de Botanica bene merito, deſumtum. Præterea vero & eidem in *Hort. Cliff.* p. c. nomen ſpecificum a floreſcendi modo petitum, quo a congeneribus ſpeciebus diſtingueretur, impoſuit, quod dein in *ſpeciebus plantarum* addita foliorum figura, in diverſis eius ſpeciebus alia ampliatum eſt. Singuli fere, qui eundem inſecuti ſunt, Botanici, dum in libris ſuis huius plantæ meminerunt, utroque eius nomine, tum generico, tum ſpecifico, ſunt uſi. At LOEFLINGIVS dum in *Itinere hiſpanico* Americanas Regis Hiſpaniæ ditiones viſens, Barcellonæ in paludibus eandem creſcentem inveniret, & pro novo haberet genere, proprium ipſi indidit nomen: Phrynium, cui adiecit amplam deſcriptionem, unde mihi cum LINNÆO conſtat, quod Phrynio ſuo Pondeteriam cordatam indicet, ipſi hoc & alio quovis nomine ignoratam. Quem in errorem ut incideret, ipſi fuit fere inevitabile, cum tria tantum in quovis flore animadverteret ſtamina, nimirum hæc, quæ trium inferiorum laciniarum baſi inſerta ſunt, iisque reſpondent & extra tubum corollæ eminent; nam illa tria, quæ intra tubum latent eiusque baſi ſunt inſerta, vel ut præterviderit, vel ut ipſa abfuerint, fuit neceſſe, cum nullam eorum faciat mentionem. Item iam ante LINNÆVM HOVSTONVS eandem dignam cenſuit, quæ novum conſtitueret genus, cui nomen MICHELII, Botanici eximii, imponere, indeque MICHELIAM dicere, in animo habuit: Sed quum phtiſi conſumtus, præmature, quod vehementer dolendum! morti occumberet, unde propria inventa adnotamentaque Publico communicare non potuit, eiusque manuſcripta a MILLERO hactenus fere inedita ſervata ſunt, ab altero interim nomen accepit, ipſius ad aliam plantam translato.

Cum ex præmiſſis iam pateat de planta ipſa nullas adhuc exſtare icones, quam quas MORISONVS, PLVKENETVS & PETIVERIVS exhibuerunt, quum reliqui Scriptores botanici, quos memoravimus, vel plantam tantum nominarint, vel deſcripſerint, vel definiverint, nequaquam vero delineaverint; & eædem icones, quamvis ſperni non poſſint, ſint tamen perparvæ, præterea nec coloribus vivis pictæ, nec charactere fructificationis ornatæ: inde actum agere nequaquam putavimus, dum noſtram publicaremus, a b. TREWIO in id iam ſepoſitam, quamvis nonad vivam plantam, quæ tunc temporis in Anglia obtineri non potuit, ſed ad ſiccum at bonum exemplar ſit confecta; nam eſt dictis maior nitidiorque, ad hæc coloribus vivis decorata. Nec deſideramus ur in reliquis citatis figuris Characterem fructificationis, qui hic, excepto fructu, quem EHRET, omni data opera, obtinere non potuit, accuratiſſime & magnitudine tam naturali quam aucta adpictus eſt.

Planta vero ipſa, cuius delineationem dedimus, quantum ex deſcriptionibus, quæ inde exſtant, & ex icone noſtra colligere eſt, ſequentem in modum ſe habet: Nimirum eſt pedis fere longitudine. Radix perennis fibroſa, unde ſuccreſcunt nonnumquam unus, ſubinde duo vel tres Caules, ſubrotundi, craſſitie digiti. Horum unicuique eſt folium unicum, ſagittato-cordatum: angulis ſ. auriculis ſubrotundis dimidia fere totius plantæ longitudine eiusque pene latitudine, carnoſum, ſtriatum ſeu nervoſum: nervis e baſi undique excurrentibus; alioqui integrum, niſi in baſi ut memorat MILLERVS profunde ferratum, villoſum, ſubacutum, inſiſtens petiolo, ſubrotundo, rubente, fibroſo, baſi caulem vaginæ inſtar obvolvente, ſupra, ubi a caule abſcedit, dehiſcente: unde exit Pedunculus rotundus, longus, rubicundus, bi-vel tri-uncialem ſuſtinens Spicam cylindraceam, denſam, quæ antequam efflореſcit, intra ſpatham longitudinaliter dehiſcentem, ſtrictam, luteam, latet. Flores qui ipſi inſident, ſunt nudi, neque bractea ſuffulti, neque Perianthio cincti, ſublabiati, geminati ut aſſerit BROWNE, cærulei vel rubicundo-cærulei. Corolla monopetala, imperforata: Tubus angulatus, ſtriatus, ſubcylindraceus, parum incurvatus: Limbus bipartitus, cuius labium ſuperius eſt erectum, tripartitum: laciniis ſubæqualibus, media macula lutea inſignita; inferius itidem tripartitum, æquale, reflexum. Staminum numerantur in ſingulo flore ſex, quorum tria extra tubum Corollæ eminent: filamentis baſi trium laciniarum inferiorum inſertis iisque ſitu reſpondentibus; tria vero reliqua intra tubum latitant, baſi eiusdem inæqualiter inſerta; & hæc bis tria antheris gaudent oblongis, incumbentibus. Piſtillum corollam longe ſupereminet, & eius germen eſt oblongum; Stylus ſimplex, apice incurvatus; Stigma craſſiuſculum: unde fit Fructus ſeu Capſula carnoſa, conica, triangularis, trilocularis, cuius loculis inſunt Semina plura, ſubrotunda.

Hæc, quam modo deſcripſimus, planta paludibus & vadis Americæ inhabitat, nec adeo raro occurrit, cum in *pluribus eius regionibus*, præcipue *borealibus*, reperiatur. Sic enim reperitur in *Virginia*, ut GRONOVIVS, MILLERVS & PETIVERIVS teſtantur. In *Marilandia*, *Carolina meridionali*, ut PETIVERIVS aſſerit. In *vera Cruce*, ubi collegit HOVSTONVS, autore MILLERO. In *Jamaica*, quemadmodum ex BROWNII Flora Jamaicenſi patet, ubi proprium ipſi adaptavit differentiam ſpecificam, & ample expoſuit eius characterem fructificationis, noſtræ non male reſpondentes, niſi quod folia Iamaicenſis deſcribantur ſubrotunda quæ noſtræ ſunt cordata, quod diſcrimen ex figura eorum male intellecta ortum fuiſſe autumo. Porro reperitur in *Barcellona*, ubi detexit LOEFLINGIVS. Rurſus in *Provincia Noveboracenſi*, ubi legit COLDEN. Item in *Novu-Tork*, unde accepit ELLIS, ex quo obtinuit EHRET, & ſecundum, quam noſtram pinxit iconem.

TAB. LXXXIV.

PHYLLANTHVS (*grandifolia*) caule arboreo, foliis ovatis obtuſis integerrimis *LINN. Hort. Cliff.* 440. *Spec.* 1392. *MILLER Diction.*

NIRVRI arboreſcens, foliis latis ſubrotundis & ſubtus incanis, fructu maximo HOVSTON. MSS.

Nota: Plantæ imago, quam Tab. LXXXIV. exhibuimus, ab EHRETO, qui eandem delineavit, b. TREWIO nomine: Telephioides arboreſcens foliis latis, ſubrotundis & ſubtus incanis, fructu maximo Randi miſſa eſt. Quam vero idcirco potiſſimum publicavimus, quod nulla adhuc, quantum ſcio, alia exſtet icon, nec planta ipſa perquam frequenter hortos Europæos incolere poſſit, cum nemo, quantum mihi conſtat, præter LINNÆVM & MILLERVM, eius mentionem fecit, nam Randium, ob id quod plantam tantum nominetus indicaverit, ſtudio omitto, quin & hi, dum eandem in Libris ſuis, prior primum in *horto Cliffortiano*, inde in *ſpeciebus plantarum*, alter in *dictionarii hortulanorum variis editionibus*, & in eius *abbreviationibus*, memorarunt, eius talem non dederunt deſcriptionem, quæ plantam ſecundum omnes ſuas partes cognitam redderet: nam ille, cui ſiccum tantum exemplar fuit, a MILLERO communicatum, in rite denominanda planta ſuam præcipue collocavit operam, pauca tantum de foliis adnotatamenta ſubiungens; & alter quamvis in nomine eius, cuius proprium primo condidit, dicens ANDRACHNEN foliis ovatis obtuſis ſubtus incanis, caule arboreo, quod expoſt cum LINNÆANO permuta-

mutavit, non ſubſtitit, tamen eius imperfectam exhibuit deſcriptionem. Unde tantum colligere eſt: eſſe *arborem mediæ ſtaturæ*, eandem in ſolo natali ad viginti pedum altitudinem excreſcere; Truncum eſſe craſſum, lignoſum, diſpeſſi in plures ramos; his alternatim inſidere folia ovata, integra, ſupra ſplendide viridia, infra incana ſeu potius glauca; ex horum axillis prodire flores ſexu diſtinctos, brevibus pedicellis inſidentes ac infra folia dependentes; Fructum, qui ex his naſcitur, eſſe nucis baſilicæ magnitudine, intumeſcere in tres loculos, quibus inſunt ſemina ſingularia; horum duo ſæpius eſſe marcida, quin etiam dum ſpecie fœcundata referunt, tamen detracto cortice, reperiri absque germine ſeu potius corculo. Sed hæc non ſolum verum etiam & alia plura ex icone noſtra patent, quæ nunc ſubiungere placet: nimirum quod ex ramulis quovis anno noviter protruſis naſci videantur folia, quæ ſunt, ut LINNÆVS in *horto Cliffort.* iam annotat, palmaria, ſed non ovata & obtuſa, ut idem aſſerit, potius ſubrotunda & breviter acuminata; quod his foliis ſint petioli parvuli, ſubrotundi, craſſiuſculi; quod ſubter illos in iunioribus collocentur ſtipulæ lanceolato-lineares, acutæ; quod ex axillis foliorum non unicus ſed plures prodeant flores nutantes, campanulati, flavicantes, parvuli, pedicellis ſimplicibus vel diſtinctis adfixi, & quod denique flores fœminini, dum maſculi non ſint adpicti, adhæc & fructus ſequentem in modum ſe habeant.

PERIANTHIVM hexaphyllum, ſ. ſexpartitum: *foliolis* l. laciniis erectis, coloratis, lanceolatis, ſubacutis.

PISTILLI *germen* ſubrotundo-trigonum, baſi *margine polygono* cinctum. *Styli* tres recurvato-patentes, in ſummitate bifidi, *Stigmata* obtuſa.

PERICARPIVM ſeu *Capſula* ſubrotunda tricocca trilocularis: loculis bivalvibus.

SEMINA ovata hinc convexa, inde angulata, vertice obtuſo ut videtur hilo prædita.

Hæc cuncta igitur ultra ex icone noſtra perſpiciuntur, quorum aliqua EHRETVS propriis ſuis adſcriptis adnotationibus confirmavit. Unde iam ſatis ſuperque clarebit, quare MILLERI deſcriptionem imperfectam dicere, coacti ſimus, ſed exinde itidem patebit, quare huic iconi præ aliis inter has ſelectas icones locum aſſignaverimus; nempe quod nonſolum raritate & elegantia, ſed etiam accuratione aliis præſtet. Quæ noſtra poſterior aſſertio quamvis per ſe iam liqueat, tamen adhuc magis clara fiet, dum L. B. vel iconem ipſam vel eius, quam dedimus, deſcriptionem, cum iis, quæ dictorum virorum opera de planta innotuere, præcipue vero fructificationis characterem in quantum delineatus eſt, & in quantum hinc itidem deſcribi potuit, cum LINNÆANO, in generibus dato, comparare non gravabitur. Et optandum tantum eſſet, ut, quemadmodum flos fœmineus explicatus & magnitudine auctus fuit ſeorſim exhibitus, ſic & maſculus eſſet delineatus, præterea planta proportionaliter diminorata adpicta, quo icon omnibus numeris fuiſſet perfecta.

Iam vero mihi adhuc in cauſas inquirere incumbit, quare in icone noſtra foliorum figura illi a LINNÆO & MILLERO deſcriptæ non reſpondeat, inde enim perfacile quisquam in cogitationem adduci poſſet, quaſi non eſſet accurate delineata, aut planta, quam diximus, non eſſet. At quod ſit non tantum fructificationis character ſatis ſuperque declarat, verum etiam nomen ab EHRETO iconi adſcriptum, hinc cum *Andrachne arborea* MILLERI, olim quarta nunc tertia ſpecie, confundi nequit, etſiamſi huic ſit valde adfinis, eiusdem conterranea, & quantum ex HOVSTONI nomine ſpecifico, olim a MILLERO memorato, colligo: foliis latioribus. Inter cauſas vero præcipuas, quæ foliorum huius arboris figuram immutare potuerunt, refero ætatem, unde mirifice ſæpius transfigurantur, ſic, ut ſibi ſint plane diſſimilia, quæ prius enata ſunt, & quæ poſt enaſcuntur, quorum plura inſignia exempla proferre poſſem, niſi talia plura unicuique Botanico incognita eſſe non poſſint, huic addo culturam, quæ mirum quantum omnes plantæ partes, præcipue folia variare poteſt, ut taceam alias, quæ minus forſan hic locum habent.

Cæterum hæc planta, uti ex MILLERO conſtat, in Campechia ſponte creſcit, ubi HOVSTONVS eandem & Andrachnen arboream MILLERI primum detexit, & unde quoque Capſulas ſeminales Angliam miſit, quorum ex ſeminibus, quamvis maxima ex parte fuerint caſſa, tamen aliquot enatæ ſunt plantæ.

TAB. LXXXV.

ACER foliis quinquelobis ſubdentatis ſubtus glaucis, floribus pedunculatis ſimpliciſſimis rare aggregatis dioicis.

ACER (rubrum) foliis quinquelobis ſubdentatis ſubtus glaucis, pedunculis ſimpliciſſimis aggregatis *LINN. Spec.* 1496. *GRONOV. Virg.* 161.

ACER folio palmato-angulato, flore fere apetalo ſeſſili, fructu pedunculato corymboſo. *Fl. Virg.* 41. *COLD. Novebar.* 85.

ACER virginianum folio ſubtus incano, floſculis viridi-rubentibus. *HERM. Parad. p.* 1. *t.* 1.

ACER virginianum, folio maiore ſubtus argenteo ſupra viridi ſplendente. *PLVCK. Alm.* 7. *t.* 2. *f.* 2. *CATESB. Carol. I. p.* 60, *t.* 62. *MILL. Icon. p.* 6. *t.* 8. *f.* 1. *du HAMEL. Arb. p.* 28.

ACER occidentale, folio minore ſubtus incano ſupra atrovirente *RAI. Hiſt.* 1701.

ACER floribus rubris, folio maiori ſupra viridi ſubtus argenteo ſplendente *Clayt.*

a. ACER rubrum floribus hermaphroditis *du ROI Obſ.* 60.

TAB. LXXXVI.

ACER foliis tri- vel quinquelobis ſerratis ſubtus glaucis, floribus diſtinctis confertim aggregatis monoicis.

ACER americanum, folio maiore ſubtus argenteo, ſupra viridi ſplendente, floribus multis coccineis *MILLER. Dict.*

ACER floribus rubris, folio maiori ſuperne viridi, ſubtus argenteo ſplendente Clayt. *du HAMEL. Arb.* 28.

Nota. Plantæ hæ duæ, quas tabulis LXXXV. & LXXXVI. exhibuimus, ſunt Aceris valde affines ſpecies, ita ut a MILLERO, qui utriusque plantæ in *Dictionario hortulanorum* noviſſimis

editionibus, & in Iconibus mentionem fecit, tantum pro varietatibus eiusdem ſpeciei, LINNÆO A. rubrum dictæ, ſint habitæ; licet in prioribus huius dictionarii editionibus easdem in veras diſtinxerit ſpecies, proprias ipſis aptans differentias ſpecificas, quarum alteram ſua ſub ſpecie indicavimus. Sed in eo, quod hanc priorem ſuam miſerit ſententiam, & alteram amplexus ſit, hactenus ſuffragari non potui, cum in his duabus plantis, ex iconibus noſtris iudicans notas haud paucas nec viles animadvertam, quibus in duas veras diſtingui poſſint ſpecies: ſcilicet, quod prior ſit planta dioica, altera monoica; dein quod prior gerat folia quinqueloba dentata, altera triloba? ſerrata; tum quod gemmæ in priore ſint minores imbricatæ, quales etiam vel facta efflorescentia perſiſtere videntur, in altera maiores, pro more generis compoſitæ ex duabus ſquamarum paribus, adauctæ ad baſin aliquot minoribus, quorum maiores, dum expanduntur, ſunt ſibi fere æquales, cruciatim recedunt, apicibus & marginibus retractis, ita ut calycem tetraphyllum patentem referant, unde florum faſciculi prodeunt. Porro quod faſciculi florum in priori ſint pauciores & rariores, in poſteriori copioſiores denſiores, ita ut nonnunquam de ramulis ipſis, quibus ſupercreſcunt, præ eorum frequentia & denſitate vix quicquam conſpici poſſit. His adde quod pedunculi in priore ſint longiores ſubnutantes, in altera minores & magis erecti; dein quod prioris fœminei flores poſſideant calycem ſeu Perianthium monophyllum, perſiſtens, iidem vero alterius polyphyllum, deciduum; tandem quod alæ in priore ſint maiores & magis arcuatæ, in altera breviores, rectiores.

Hæc cuncta, quæ modo adduximus diſcrimina fiunt maxima ex parte ex iconibus noſtris clara & perſpicua, &, quæ ex iisdem minus clare cognoſci poſſunt, aliorum de Acere rubro iconibus & effatis ſupplentur. Quæ poſterior noſtra aſſertio potiſſimum de illo primo diſcrimine valet, quod inter utramque plantam intercedere diximus: puta quod prior ſit dioica vel diphyta, altera monoica vel monophyta. Etiamſi enim id, quod de altera aſſeruimus, ex icone ſua ſatis ſuperque clareat, tamen idem, quod de priori perhibuimus æque clare ex ſua non cernitur, cum in eadem ramus florum mere hermaphroditorum ferax, ſed non alius maſculorum tantum fœtus, exhibeatur. Unde ambigimus an huic ſint præter hermaphroditos alii maſculi, & dum ſint, an eundem cum iisdem inhabitent truncum proprios tantum ſegregati in ramos, an habeant diverſum truncum? Rurſus, num forſan hi maſculi iam defloruerint cum icon eſſet confecta, an nondum efflorverint? At cum in LINNÆI *ſpeciebus plantarum*, ubi noſtra ſuo in ordine enumerata eſt, in fine annotatum legimus, quod ſit planta dioica, idemque a DV HAMELIO, *Tractatu de Arboribus*, ubi loco citato noſtram plantam memoravit, & qui ipſe propriam arborem maſculorum tantum feracem aluit, unde & flores delineandos curavit, affirmari advertimus, præterea a *Catesbyo* & ramulum hermaphroditorum florum ſeu potius fructuum, & alium maſculorum fœtum, delineatum conſpicimus, & id denique noviſſime ab Amico, in paucis caro, D. *du ROI in diſſertatione inaugurali obſervationes botanicas ſiſtente*, habita Helmſtadii MDCCLXXI. d. XXXI. Octobr ulterius corroborari legimus, tum amplius ambigere non poſſumus, ſed tantum dolemus, quod non ramus maſculus perinde ac alius androgynus fuit exhibitus.

Quo pauciores ſunt botanici, qui huius alterius noſtræ plantæ meminerunt, præter enim MILLERVM, qui varietatis loco habuit, & præter DU HAMELIVM, qui pro vera & diſtincta habuit ſpecie, neminem novi; eo numeroſiores vero ſunt ii, qui prioris mentionem fecerunt, & haud pauci, qui eius delineationem adornarunt. Primus, qui huius mentionem fecit, fuit ſine dubio PLVKENETVS, qui l. c. nomine ſupra exhibito hanc primum indicavit, & eius aliqualem, ſed tantum ramuli absque floribus & fructibus, dedit delineationem. Hunc ſubſecutus eſt HERMANNVS, qui fœminæ haud ſpernendam exhibuit figuram, & plantæ huius amplam & haud inconcinnam deſcriptionem; unde tantum colligere eſt, ipſi fuiſſe individuum rudimenta fructus non in duo ſed tria vel quatuor ſtigmata deſinentis gerens, & arborem ſuam, licet quovis anno læte floruerit, numquam tamen maturaſſe fructus: Quod ſine dubio duritiæ climatis tribui nequit, cum in Anglia hæc & altera ſpecies ſuos ad maturitatem perduxerint fructus. Proin ut alia ſubfuerit cauſa neceſſe eſt, & hanc ſuſpicor fuiſſe abſentiam maris. Proximus a memorato HERMANNO fuit CATESBY, qui eius tam ramum fructiferum quam alium parvulum maſculorum florum feracem, nomine a PLVKENETO indito, ſtetit, addens pauca hiſtoriam plantæ concernentia. Hic igitur fuit primus, qui præter ramulum, a trunco florum hermaphroditorum deſumtum, alium, ab altero maſculorum petitum, delineavit & unde aſſertio, quod flores fructificationi dicati, qui ſunt vel maſculi, vel fœminei ſeu potius hermaphroditi, proprios ſegregentur in truncos, aliqua ex parte verificatur.

Ab hoc exſtitit GRONOVIVS, qui l. c. eius mentionem fecit. Non multo poſt COLDEN eandem, cum plantas Coldinghamias ex Provincia Noveboracenſi proprio in Catalogo ſiſteret, qui Actis Upſalienſibus A. 1742. inſertus eſt, nomine GRONOVII memoravit, propriam ipſi, methodo LINNÆANA concinnatam, ſubiungens deſcriptionem. Ex qua elucet, ſibi fuiſſe arborem fœmineam, cuius flores calycem non monophyllum ſed polyphyllum habuerant, ſi fides habenda eſt eius deſcriptioni, unde, ſi maſculorum iniecisſet mentionem, colligendum fuiſſet, ſuam deſcriptionem pertinere ad hanc noſtram alteram. Poſt MILLERVS in *Iconibus* l. c. fœminæ ſtetit iconem, ſed reliquis hactenus publicatis non meliorem. Cui adiunxit hiſtoriolam plantæ, ubi alterius noſtræ nomine Aceris Caroli WAGERI mentio fit, & quæ in variis *Dictionarii hort.* editionibus itidem exſtat. Hi dicti ſcriptores hactenus arboris fœminæ tantum, non æque maris meminerunt: ſed DV HAMEL, qui poſt ipſos *Tractatum de Arboribus* ſcripſit, & LINNÆVS in *novíore Plantarum Indice*, atque noviſſime & quam maxime expreſſe *du* ROI l. c. & trunci mas dicendi, & alterius fœmina nuncupandi, meminerunt. Inter quos DV HAMMEL, quem primum nominavimus, propriam coluit arborem marem, cuius flores adhuc tenellos & iam adultos, ut intra gemmas continentur, aut ut ſolitarie conſpiciuntur, delineandos curavit. Præter dictam vero, alteram adhuc coluit, quæ ex ipſius ſententia fuit fœmina, quamvis dum hæc ſcriberet nondum floruerit, quod vero exinde ſuſpicatus eſt, quum a Canadenſibus Botanicis fuit edoctus dari huius ſpeciei duo individua, quorum alterum flores fœmineos, alterum maſculos ferat, ſic etiam D. *du* ROI, quem ultimo nuncupavimus, quum *Harbeccæ* (Harbke), pagi Helmſtadio vicini, in Perill. a VELTHEIM arbores & frutices americanas, quarum perplures & rariores colebat, inquireret, utramque arborem, puta marem & fœminam, & quidem in flore, videre & obſervare obtigit. Unde vero LINNÆVS idem perhibuerit, an propriis edoctus fuerit obſervationibus, an aliorum avtoptarum Americæ provincias peragrantium, an idem cum nobis ex CATESBEI figuris & DV HAMELII effatis & figuris collegerit, neſcire me facile fateor. Cæterum hic idem in concinne denominanda & definienda planta nec non in colligendis ſynonymis ſuam præcipue commodavit operam, quare & ipſi iam in horto Upſalienſi propriam adaptavit differentiam ſpecificam, quam dein in ſpeciebus plantarum novioribus immutavit, inflorescendi modo in auxilium vocato: ſed eandem rurſus ampliare coacti ſumus, ut alteram noſtram ſpeciem ab eadem diſtinguere potuerimus, cum ipſi ſit idem inflorescendi modus, talis foliorum diviſio & idem color quoad folia & flores, (unde potiſſimum LINNÆANÆ petitæ ſunt notæ ſpecificæ) nec cætera admodum differant, attamen ſit diſtincta uti, ex diſcriminibus ſupra enumeratis patere puto.

Addendum denique adhuc putavi has plantas, præcipue dioicam, in Americæ Provinciis, ubi ſponte creſcunt, ab incolis ad varios uſus converti: ex ſucco enim ex arboribus, primo vere ad lignum usque inforatis, deſtillante, confici ſaccharum, Syrupum, ut obiter COLDEN & KALM, & accuratius & plenius DV HAMEL indicarunt; præterea, ut KALM in *itinere Americano* ultro memorat, ex ligno tornari & fabricari varia utenſilia, qnæ ſunt coli rotatiles, orbes, ſcapi, pedes, quibus lecti, ſedilia inſiſtunt, præcipue vero ex illo marmorato fieri varia ſcriniariorum opera, carius quam e vulgari venientia; ex cortice porro aqua incocto, addito Chalcantho parari colorem obſcure cæruleum; quo tinguntur lana & Linteamina, & ex eodem tandem Atramentum.

TAB. LXXXVII.

VIBVRNVM foliis cordato-orbiculatis glabris ſerratis plicatis. *GRONOV. Virg. (ed. alt.) p.* 46.

VIBVRNVM foliis ovatis dentato-ſerratis plicatis. *LINN. Spec.* 384. *n.* 4.

VIBVRNVM foliis ovato-orbiculatis profunde ſerratis venoſis. *MILL. Dict.*

Nota. Viburnum, cuius imaginem, ab EHRETO delineatam, tabula LXXXVII. ſtetimus, eſt idem, quod GRONOVIVS a *CLAYTONO* e Virginia nomine VIBVRNI floribus in umbella candidis, foliis articulatis profunde & eleganter ſerratis accepit, & in Floræ virginicæ altera editione p. 46. nomine præmiſſo indicavit. Huius porro LINNÆVM l. c. mentionem feciſſe, vero non abſimile eſt, cum eius nomen ſpecificum, quod ſupra enumeravimus, ab illo Gronoviano perparum differat, nec referat neutrum alterius nomen indicaſſe, quod alioqui ſedulo factum eſt, quum utrique alterius nondum innoteſcere potuit, ob id, quod in nova demum librorum ſuorum editione publicarent, & hi libri, denuo editi, ſint ſibi mox inſecuti, unde poſterior prioris, cum ſuum edendum pararet, nondum habere potuit. Sed quod horum virorum nomina unam eandemque indicent ſpeciem indeque pro ſynonymis ſint habenda, hinc præcipue colligo: quod utraque Virginiam inhabitare perhibeatur; porro quod altera cum altera foliis plicatis, id quod huic ſpeciei proprium videtur, & marginibus ſerrato-dentatis conveniat, nec altera ab altera diſcrepet niſi figura, quæ variare potuit; præſertim, cum inter ovatam & cordatam perparum ſit diſcrepantiæ, & una ſæpius in alteram transmutetur, aut eadem etiam talis ſæpe numero ſit, ut nec perfecte ovata nec cordata dici poſſit. De eo vero, quod alter folia non ſimpliciter cordata ſed cordato-orbiculata, alter vero tantum ſimpliciter ovata dixerit, non admodum angor, quum & hoc ſibi non conſtare potuit, & re vera ſic eſſe, hinc præcipue colligo, quod GRONOVIVS præter ſuam ſpeciem: foliis cordato-orbiculatis, & varietatem indicaverit: foliis ſuperioribus tantum cordatis. Præterea & MILLERI nomen ſupra indicatum huc quoque pertinere ſentio, cum nec nomen nec deſcriptio, huic ſubiuncta, abludant, nec id, quod folia *nervoſa* non *plicata* deſcripſerit impedimento eſſe poſſit, cum ſub nervoſis haud dubie plicata intellexerit.

Quod ad plantam denique attinet, ea ex icone noſtra propemodum ſequentem in modum ſe habet: nimirum Caulis & Rami rotundi, cortice cinereo, lævi, gemmulis parum exaſperato tecti. *Surculi* tetragoni virides. Folia orbiculato-cordata, glabra, plicata, ſerrato-dentata, oppoſita, rectangularia ſ. horizontalia, petiolata. *Petioli* breves, foliis quinquies minores, canaliculati, craſſiuſculi. Flores in umbella ſupra decompoſita absque involucro. Eorum Calyx ſ. *Perianthium* breviſſimum, quinquedentatum. Corolla monopetala, rotata, quinquepartita. Stamina quinque, Corollæ inſerta & eadem maiora. *Filamenta* ſubulata, erecto-patentia. *Antheræ* ſubrotundæ. Piſtilli *germen* ſubrotundum. *Stigmata* tria? Fructus baccatus: *Bacca* ſucculenta, monoſperma, umbilicata. Semen ſubrotundum.

TAB. LXXXVIII.

CHELONE foliis petiolatis lanceolatis ſerratis: ſummis oppoſitis. *LINN. Hort. Cliff.* 492. *Syſt.* 408. *GRONOV. virg.* 93. *FABRIC. helmſt.* 411.

CHELONE acadienſis, flore albo *TOVRNEF. Act. Gall.* 1756. *BOERH. Lugdb.* 1. *p.* 240.

CHELONE flore albo, in ſummo caule diſpoſito foliis longis in acumen deſinentibus, ex adverſo absque pediculis binis. *Clayton.*

Nota. Primam huius plantæ mentionem fecit TOVRNEFORTIVS l. c. nomine ſupra indicato, cum fructificationis partium deſcriptionem & delineationem daret, quarum utraque non peſſime facta eſt. Inde BOERHAAVIVS eandem, nomine Tournefortiano uſus, l. c. memoravit. Hanc dein LINNÆVS in *Horto Cliffortiano*, Claſſi *Didynamiæ* & ordini *Gymnoſpermiæ* addens, nomen genericum a TOVRNEFORTIO inditum retinens, & novum ſpecificum ex legibus præſcriptis aptans, primum indicavit. Tum vero & in Indicis Plantarum univerſalis variis editionibus & in iisdem Syſtematis Naturæ, ſuo in ordine, nomine ſpecifico cum editionibus tantum nonnihil immutato, memoravit. Unde denique varii Botanici, dum eius in libris ſuis meminerunt, nomina mutuarunt. Talis eſt amiciſſimus FABRICIVS, qui, dum plantam hanc in *Enumeratione methodica Plantarum horti medici Helmſtadienſis* indicaret, dicti viri nomen ſpecificum tunc temporis noviſſimum uſurpavit, & quem ob id potiſſimum nomino, quod floris partium accuratam & nitidam dedit deſcriptionem, iis noſtræ non male congruentem. Unde potiſſimum notari meretur, quod perianthium non ſit pentaphyllum, ſed octophyllum, & eius foliola quaſi imbricatim ſibi incumbant, quale in noſtræ iconis prima figura conſpiciendum ſe præbet & a TOVRNEFORTIO iam l. c. exhibitum eſt. Ipſum enim quaſi ex duplici calyce conſtare videtur, quorum alter exterior eſt triphyllus, alter interior pentaphyllus. Præterea & ſingulare illud, ab ipſo itidem annotatum, puta quod ſtamen quintum mutilatum ſit foliaceum, memoratu adhuc dignum eſſe cenſeo: ſed quæ de Corolla, de Staminum curvatura & pubeſcentia, nec non de Piſtillo ſunt ab eodem dicta, cum characteri Linneano ſint maxima ex parte conformia, reticenda putavi.

Alios Botanicos, qui plantæ nominetenus tantum meminerunt, & ad eandem dilucidandam nil contulerunt, ſtudio omitto. Suffecerit ex iisdem tantum nominaſſe GRONOVIVM, ex cuius Flora virginica liquet, eandem eſſe Virginiæ incolam, & ex Claytoni nomine ibidem relato, eandem inhabitare paludes: præterea & MILLERVM, qui in Dictionario hortul. eius deſcriptionem dedit, loca natalia & culturam indicavit, & eandem ab altera ſpecie, LINNÆO in ſpeciebus Plantarum pro huius varietate putatam, diſtinxit.

TAB. LXXXIX.

SIDA foliis ſubrotundo-cordatis ſublobatis, pedunculis umbellatis, capſulis multilocularibus.

Nota. Plantæ imaginem, cui nomen modo indicatum indidimus, idcirco potiſſimum dignam cenſuimus quæ his iconibus ſelectis inſeratur, cum *Sidam*, quam ſiſtit, non male exprimere videatur, & hæc ipſa niſi ſit inter Botanicos plane incognita, ſit certe minus cognita. Quod itidem EHRETO ſic viſum eſt, unde iconi originali, ab ipſo depictæ, ſubdidit ſe ignorare, an hæc Abutili ſpecies iam ſit cognita an incognita? Unde vero nos hanc *Sidam*, eamque incognitam habuimus, iam noſtrum erit indicare. Quo melius vero id fieri poſſit, placet deſcriptionem plantæ, ad iconem noſtram factam, præmittere. Quæ nunc ſequitur.

CAVLIS angulatus, ramoſus, erectus.

FOLIA alterna, ſubrotundo-cordata, ſublobata, obtuſiuſcula, ſerrata, palmaria, venoſa, villoſa, petiolata: *Petiolis* angulatis, foliis dimidio brevioribus, dependentibus.

Stipulæ laterales, magnæ, lineari-lanceolatæ, acuminatæ, patentes.

PEDVNCVLI petiolis laterales iisdemque maiores, ſingulares, umbelliferi: *Pedicelli* parvi, ſæpius 5, uni-flori.

PERIANTHIVM monophyllum, ſemi-quinquefidum, angulatum, perſiſtens.

COROLLA pentapetala: *petalis* baſi coalitis, obcordatis, oblique præmorſis, patentibus.

STAMINVM *filamenta* numeroſa, unguibus corollæ inſerta, inferne in cylindrum coalita, ſuperne ſoluta. *Antheræ* ſubrotundæ.

PISTILLVM intra vaginam ſtaminum. *Germen* ſubrotundum, orbiculatum. *Stylus* cylindraceus, multifidus. *Stigmata* capitata.

PERICARPIVM ſubrotundum, turbinatum, hirtum, multiloculare, in loculos triquetros, compreſſos, retrorſum acuminatos, introrſum unciatos & dehiſcentes, polyſpermos ſolubile.

SEMINA plura, ſubrotunda, pedicellata.

Ex deſcriptione modo exhibita nunc rationes non tantum perſpici poſſe autumo, quare eandem LINNÆI generi Sidæ, & quidem ordini multicapſularium, alioqui Abutilon dicto, adcenſuimus, videlicet quod ipſi ſit calyx ſimplex, angulatus, & ſtylus multipartitus, præterea fructus multi-capſularis, numerum capſularum 5 excedens, cuius capſulis inſunt ſemina non ſingularia, ſed plura: Verum etiam ex eadem iam rurſus liquere arbitror, quare eandem pro incognita vel minus cognita habuimus, nimirum quum pedunculos ſingulares, umbellatos gerat & folia ſubrotundo-cordata; quibus coniunctim ſumtis a ſingulis LINNÆANIS *Sidæ* ſpeciebus ex ordine multicapſularium, præterea vero & ab aliis, a MILLERO aut aliis Botanicis indicatis, differre videtur.

TAB. XC.

MALACHE *ſcabra*

ABVTILON foliis ovato-cordatis acuminatis rugoſis, floribus in thyrſo terminalibus. *MILL. Abridg.* (*ed.* 5.)

ABVTILON americanum paluſtre, ſpica florum pyramidata, flore parvo exalbido. *PLVM. Spec.* 2?

ALCEA fruticoſa, aquatica, folio cordato ſcabro, flore pallide luteo *SLOANE Catal.* 97. *Hiſt. I.* 221. t. 139. f. 2.

Nota. Planta, quam tab. XC. iuxta EHRETI imaginem, ad ſiccum exemplar factam, delineandam curavimus, ob id publici iuris facere decrevimus, cum eius nulla adhuc exſtet icon, unde planta vere cognoſci poſſit, & tamen ſit planta cognitu præprimis digna, cum ſub generibus, quibus hactenus accenſa eſt, locum ſuum tueri non poſſit, nam proprium genus conſtituere videtur, uti poſtea perſpicuum facere annitar.

Hans SLOANE fuit haut dubie primus, qui in *Catalogo Plantarum Jamaicenſium* p. c. eius mentionem fecit, idemque fuit itidem primus, qui dictæ plantæ propriam eamque nitidam in *hiſtoria*, quam poſt Catalogum promulgavit, l. ſ. c. concinnavit deſcriptionem, unde noſtram poſtea addendam maxima ex parte decerpſimus, idque inprimis, dum melior nondum exſtet, cæterumque ſit admodum adcurata. Præterea vero & in dicta Hiſtoria eius iconem, racemum floridum terminalem & alium lateralem huic infertum ſiſtentem, dedit, quamvis non optimam & perfectam, tamen a noſtra non abludentem. Ab hoc MILLERVS eandem in Epitome *Dictionarii Hortul.* nomine ſupra indicato, enumeravit pariterque eius, ſed brevem, ſubiunxit deſcriptionem. Præter hos vero, qui eius meminerit, neminem novi.

Iam vero Plantæ ipſius deſcriptionem, iuxta iſtam SLOANI factam, ſubiungere placet, ut primum clarum fiat, quomodo ipſa ſit comparata, dein, quare eandem nec Sidis vel Abutilis, nec Alceis, nec Althæis adnumerari poſſe autumem. Partes vero ipſæ plantæ iàm deſcribendæ: quæ eſt frutex & e grege Malvacearum, quod præmonendum duxi, ſequentem in modum ſe habent. Radix filamentoſa. Caules plures, 5 pedes alti, digitum craſſi, ſtricti, albicantes, læves. *Rami* plures ſupra folioſi. Folia cordata, baſi rotundata, acuminata, ſerrata, hirta, quarta parte longiora quam latiora, luteo-viridia, venoſa: venis radiatis; petiolata: petiolis foliis quarta parte brevioribus.

Flores racemoſi, terminales. Calyx ſive *Perianthium* duplex, perſiſtens, æquale, corolla brevius: *exterius* decaphyllum; foliolis linearibus patentibus: *interius* quinquepartitum campanulatum; laciniis ovatis acutis. Corolla pentapetala: petalis calyce duplo longioribus, erecto-patulis, oblongis, ſubintegris: unguibus ut videtur longis & infra forſan coalitis. Stamina coalita? Piſtillum, ut memorat SLOANE, piſtillo analogum: hinc *Germen* ſubrotundum, *Stylus* cylindraceus, *Stigma* capitatum. Perianthium l. *Capſula* ſubrotundo-quinquangularis, turbinata, obtuſe quinquecornuta, quinquelocularis, ſolubilis in *loculos* clauſos. Semina ſingularia obovata.

His præmiſſis, iam noſtrum erit rationes reddere, quare ex hac noſtra planta novum condere genus non addubitavimus. Incitavit inprimis Calyx, qui hic eſt *duplex* & quorum *exterior* eſt *decaphyllus*, alter vero *interior monophyllus*, *ſemiquinquefidus*; præterea vero & *capſula*, quæ diſſolvi videtur in 5 *loculos clauſos*, cui unicuique ineſt *ſemen unicum*. Unde nulli hucusque cognito *columniferarum* generi adnumerari poſſe autumo. Ob calycem equidem variis generibus, puta *Althææ*, *Alceæ*, præcipue vero *Hibiſco*, accenſeri poſſet, niſi impedimento eſſet fructus ſingulariter conſtitutus. Forſan vero & impedit Piſtillum, cuius ſtylus, ut ſuſpicor, non dirimitur in lacinias, ſed eſt ſimplex. Rurſus, dum ob hunc & fructum *Stevvartiæ* addere volumus, præpedimur duplici calyce. Unde neceſſe videtur proprium indc condere genus, cui antiquum nomen *Malache*, olim plantæ e tribu Malvarum iam inditum, imponere placet.

TAB. CXI.

ACER (Platanoides) foliis quinquelobis acuminatis acute dentatis glabris, floribus corymboſis. *LINN. Fl. ſuec.* 303. 924. *Spec.* 1496. *MILL. Dict.*

ACER foliis palmatis acute dentatis, floribus corolla ſpecioſis corymboſis. *LINN. Hort. Cliff.* 143. *ROT. Lugdb.* 459.

ACER foliis quinquangulis, acutiſſimis, raro dentatis. *HALL. Helv.* 422.

ACER platanoides *MVNT.* Phytogr. f. 11. *TOVRN. Inſt.* 615. *VAILL. Pariſ.* 2. *RVPP. Jen.* 148. *WEINM.* t. 15. & 17.

ACER

ACER montanum, orientalis platani foliis atrovirentibus. *PLVK. Alm. p.* 7. *t.* 252. *f.* 1.

ACER acutioribus foliis, *RAI Syll. ext.* 49.

ACER montanum tenuiſſimis & acutiſſimis foliis C. B. *Pin.* 431.

ACERIS maioris multis falſo platan: altera varietas. *I. BAVH. Hiſt. T. I. P. II. p.* 168.

ACER maior. *CAM. Epit.* 63. (us) germanicum. *ZWING. Theat.* 189.

ACERI congener altera in frequentior. *LOB. Adv.* 443. *Ic. II. p.* 199. *f.* 1.

ACERIS genus oxyphyllum, Lynbaum *GESNER. Faſc.* (edente *Schmidelio*) *p.* 15. *t.* 7. *n.* 17.

ACERIS ſpecies montana, vulgo Lynbaum. *GESN. Hort.* 289. b.

LEYNE CRAMER T. 7.

Nota. Primus, qui huius plantæ dedit iconem, nec peſſimam, fuit ſine dubio CAMERARIVS, tum in MATTHÆOLI *Epitome*, tum in eiusdem libro, qui inſcribitur *Kræuterbuch*, utroque ab ipſo accurato, & Gesnerianis maxime & propriis plantarum nitidis iconibus aucto. Icon vero ipſa, quam C. GESNERO debemus, & quæ ramulum foliis aliquot præditum, præterea & fructum utrimque alatum ſiſtit, non peſſime, ut iam diximus, delineata eſt. Eamdem & ZWINGERVM in *Hiſtoria* ſua, e MATTHIOLI *Epitome* maxima ex parte concinnata, exhibuiſſe, eandemque pariter & I. BAVHINVM in *Hiſtoria* iconi *Lobelianæ* adpoſuiſſe, unicuique utriusque cum iſta Camerarii conferenti patebit. Plantam rurſus delineavit LOBELIVS, ſed peius, tum in *Adverſariis* p. 443. tum in *Iconibus* (II. p. 199. f. 2.) Delineavit eam porro MVNTINGIVS l. c. ſatis nitide; niſi id forſan ſit reprehendendum quod ramum florigerum & foliis, & fructu, medio corymbi florum pedicello innato, iam maturo ornatum, depictum dederit, cum & fructus & folia poſt flores demum apparere ſoleant. PLVKNETVS l. c. aliam eius denuo, ſed pro more parvam, accuravit iconem, quæ ſiſtit ramulum floridum, folia ſatis bene, (niſi quod ſint iuniora, & hinc quoad lobos nondum excreta,) & flores cæteris dictis melius & accuratius exprimentem. Eam rurſus depictam dedit WEINMANNVS, & quidem, ut videtur, in diverſis tabulis, nempe 15 & 17, & ſub diverſis nominibus, cum utramque aliam Aceris ſpeciem putaret: ob id potiſſimum lapſus, ut ſuſpicor, quod icones ſuas non iuxta plantam ipſam, ſed alteram ſaltem ad illam Muntingii delineaverit. Aliam denuo iconem dedit MILLERVS in *Iconibus* tab. 8, pro more coloribus vivis ornatam, ſed nec comtam nec accuratam. Noviorem, licet antiquiſſimam, quæ adhuc exſtat, accuravit Ill. SCHMIDELIVS, Fautor & Amicus noſter perbenevolus, dum *Gesnerianarum iconum* vivis ſuis coloribus pictarum, quas b. TREWIVS ſervabat & communicabat, *primum* ederet *faſciculum*, hinc noviorem dicere potui, etſi antiquiſſima ſit, cum ſecundum prototypum C. GESNERI, Principis Botanicorum ſui temporis, ſit factum, unde CAMERARIVS iam, qui olim eam cum reliquis Gesnerianis poſſidebat, ſuam diminoratam, in MATTHIOLI *Epitome* exhibitam, deſumſit. Noviſſimam denique, quam novi, publicavit CRAMER in libro, cui titulus eſt: *Anleitung zum Forſtweſen*, tab. 7; quam vero videre nondum obtigit.

Reliqui, quos citavimus vel citabimus, Botanici, dictam plantam vel tantum tanquam Floræ ſuæ civem indicarunt, vel in nominibus eius ponendis, vel in deſcribenda eadem, ſuam potiſſimum commodarunt operam. Inter quos præcellunt LINNÆVS, HALLERVS, &, quem iam nominavimus, SCHMIDELIVS, nec non noviſſime Amicus noſter perbenevolus, DU ROI: LINNÆVS, cum in *horto Cliff.* ex propriis legibus huic aptaret nomen, quod in *Flora ſuecica*, ubi incolam eius regionis fiſteret, abbreviavit, cum *ſpecierum* plantarum vero *altera* editione immutavit & melioravit, tale transferens in dictæ Floræ *alteram* editionem, ubi eius uſum oeconomicum copioſe, ſed breviter, quem aliquando amplius in *Flora oeconomica* n. 303. expoſuerat, adnexit: HALLERVS, cum in *Enumeratione ſtirpium helveticarum* eius iam proprium exhiberet nomen, quod in *Hiſtoria* dictarum ſtirpium plane immutatum & correctum reddidit dum plantam noſtram nuncuparet: ACER foliis quinquelobis, dentibus acutis, intervallis lunatis, racemis erectis; ubi & foliorum & floris amplam & accuratam, in *Catalogo Gœttingenſi* ex parte iam datam, exhibuit deſcriptionem: SCHMIDELIVS, quem idcirco repetimus, quod n. 17, ubi commentatus in GESNERI figuram de hac planta, & in eam ipſam, dederit floris bonam deſcriptionem & n. 18, ubi aliam Aceris ſpeciem illuſtravit, iuxta Gesneri imaginem itidem delineatam, eam foliorum, quo hæc ab iisdem alterius comparando diſtingueret: tandem *du ROI*, cum in libro, qui inſcribitur: **Harbkiſche wilde Baumzucht** p. 11, nomine noviori Halleri, nonſolum flores & folia, ſed etiam ſemina, ſurculos, gemmas durante hieme quoad colorem, eiusque indolem, cultum & uſum oeconomicum cum ſolo, cui ſupercreſcere cernitur, deſcriberet.

Iam vero ex his, quæ memoravi, tantum ſequi puto, huius plantæ iam plures exſtare icones & deſcriptiones, ut unam vel alteram denuo dare ſuperfluum fere videatur: ſed ex priorum comparatione inter ſe, has plures propterea in pauciores reduci poſſe, cum haud paucæ ad eandem imaginem ſint factæ, &, dum ſpectes accurationem & plenitudinem, vel hac vel illa deficere, ita ut ipſa Muntingii, quæ reliquis ſpecioſior eſt, accurate delineata non ſit, cum in ramo florido folia, iam excreta, & in medio racemi fructum, iam adultum, exhibeat. Nec meliorem Cramerianam eſſe, licet eamdem nondum conſpexerim, ex eo præcipue colligo, quod *du ROI* icones citatas ex dignitate locare pollicitus, hanc Millerianæ poſtpoſuerit. Unde ſupervacaneum videri omnino non poſſit eius novam dare, præſertim ſi, quæ deſiderantur in prioribus, per eandem ſuppleantur corriganturque. Et inde præcipue eſt, quod noſtram publicaverim, quæ ſiſtit ramulum floridum, ſed absque foliis, ut naturæ conſentaneum eſt, & alium folioſum fructiferum, nec non ſeorſim fructum, ſed non itidem ſingulatim flores, in partes ſuas ſolutos, quos ſupplere ſtuduiſſem, ſi pictor ad manus fuiſſet, & niſi racemi flores ſic ex parte fuiſſent depicti, ut tota eorum ſtructura ſed ſtaminibus & petalis parum luxuriantium, perſpectu iam facilis eſſet; præterea niſi totus fructificationis character a *du HAMELIO Tractatu de Arboribus* T. I. p. 27. in tabella, generi præmiſſa, fuiſſet accuratiſſime delineatus, isque ſic, ut illum noſtræ ſpeciei quam proxime referat. Nec dubito propriam eius dare deſcriptionem, etiamſi eius itidem plures iam a Celeberrimis Botanicis ſint datæ, quod totam plantam ſibi non ſumſerint deſcribendam, ſed eius tantum nobiliores partes, quin & ipſe *du ROI*, qui plenius eam deſcripſit, propria annotata in plurimas plantæ partes communicans, aliqua adhuc reliquerit monenda. Hinc meam nunc ſubiungam in eam collecturus, quæ a dictis celeberrimis Viris iam ſunt de eadem annotata.

Noſtrum Acer, ut plurimum in mediocrem arborem, quantum ego & alii animadverterunt, excreſcit. Truncus eius eſt ſimplex, ſubtotundus, ſtrictus, albicans, lævis, licet parum rimoſus. Eius *lignum* albidum, leve, compactum, tenerum, ſed minus quam A. *Pſeudo-Platani*, & eodem magis tenax & fibroſum. Hic idem Truncus ſupra in *ramos* diſpeſcitur virgulatos, ramuloſos, læves, albicantes, undique proportionate ſe ſpargentes, aſcendentes: ramis & ramulis *gemmis*, per hiemem rubicundis, terminatis. *Hæ* ſunt foliiferæ & florigeræ, &, dum vere expanduntur, debiſcunt in 5 ut plurimum ſquamarum paria, floreſcentia peracta vel iam ante defluа. Quorum intima duo ſunt reliquis maiora, oblonga, rubicunda & externe ſericea, lente vitrea inſpecta ceu pellicea, (qualiter & ſequens nonnumquam eſſe ſolet,) & dum decuſſatim locentur & reclinentur, referunt fere *calycem* tetraphyllum, cuius baſin circumſident ſiccarum, coriacearum, ſubrotundarum ſquammarum alia tria paria, calyculum eiusdem conſtituentia & ipſum arctantia, quæ ſunt reliqua paria. Ex his gemmis primo vere enaſcuntur Flores *racemo* pluries parti-

partito & ſtricto ſupernati. Flores ipſi ſunt ex HALLERI, SCHMIDELII, *propriaque* animadverſione ſequentes. *Calyx* monophyllus, ex luteo viridis, quinquepartitus, patens, perſiſtens. Eius *baſis* plana, ampla *Laciniæ* oblongæ, obtuſæ l. rotundatæ, ſubintegræ, ſubvenoſæ. *Corolla* pentapetala, luxurians hexapetala *Petala* ſubcolorata, ovato-oblonga, unguiculata, patentia, parum calyce longiora, venoſa, receptaculo inſerta. *Receptaculum* magnum, orbiculatum, medio perforatum, balſamiferum, flavum, ſplendicans, gerens *Stamina* ut plurimum 8, nonnumquam & 10, circa ſingula, ipſi immerſa, intumeſcens. Horum *filamenta* aſcendentia, ſubulata. *Antheræ* ſubrotundæ, didymæ, incumbentes. *Piſtilli germen* compreſſum, fere cordatum, utrinque extuberans, in ſcrobem receptaculi demerſum. *Stylus* primum nullus, tempore demum excreſcens. *Stigmata* duo, tenuia, reflexa. Flores maſculos nec ego hactenus cum HALLERO animadverti, ſed LINNÆVS eosdem in ſpecierum altera editione annotavit. Floreſcentia maxima ex parte peracta excreſcunt confertim Folia ex iisdem gemmis, & ſunt ex Botanicorum noviorum meaque obſervatione ut plurimum quinqueloba, rarius ſeptilobata, palmata, acuminata, raro dentata: ſpatiis intermediis lunatis; ſupra glabra & fere ſplendida, infra glabra & venoſa; petiolata. Fructus, qui flores conſequuntur, ſunt magni, utrinque alati: alis membranaceis, rigidis; infra gravidi, cum ibidem ipſis inſint *Semina* ſolitaria, ſubrotunda.

Ex libris ſupra citatis ex parte iam clarum eſſe, idemque ex aliis citandis ulterius corroborari puto, hanc arborem *Europæ* plurimas *frigidas* & *temperatas* regiones inhabitare. In *Sueciæ* multis locis reperiri ex LINNÆI *Flora Suecica* conſtat. In *Ingria* ex GORTERI Flora *Ingrica*; forſan in aliis adiacentibus Ruſſiæ Provinciis? In *Polonia* ex GLEDITSCHII *Manuſcripto* ex citatione du ROI. Circa *Dantiſcum* ex REYGERI *Flora Gedanenſi*. Circa *Francofurtum* ad *Oderam* ex BERGERI *Flora Francofurtana* Prope *Halam Saxonum* ex BVXBAVMII & LEYSERI *Floris*. In Ducatus *Magdeburgenſis* & *Brunſuicenſis* Sylvis ex *du* ROI *lib. cit.* & ſpeciatim circa *Helmſtadium* ex FABRICII *Enumeratione ſtirp. helmſt.* Prope *Gottingam* ex HALLERI ZINNII & MVRRAY *Catalogis*, plantas eius loci & hortenſes & ex parte ſylveſtres indicantibus. Circa *Gieſſam* ex DILLENII *Catalogo Gieſſenſi*. Circa *Ienam* ex RVPPII Flora *Ienenſi*. In Agro *Norico* prope *Graevenberg* in ſilveſtribus montibus, ex relatione Ill. OELHAFEN de Schœllenbach, Sylvæ Noricæ a Sebaldo nominatæ Præpoſiti, & ex M HOFMANNI Flora *Altorfina*; modo eius eſt *Acer foliis acutioribus Gesner.* In *Auſtria* ex KRAMERI *Elencho Vegetabilium &c.* & IACQVINII *Enumeratione ſtirp. ſponte nascentium Viennenſ.* In *Stiria* montibus ex RAII Catalogo plantarum *exterarum*. Circa *Tubingam* noviſſime ex I. F. GMELINI, Amici, Enumeratione *ſtirp. Tubingenſ.* ſpontan. plantis etiam rarioribus ditiſſima, ubi & eius uſum oeconomicum pleniſſime collegit. In vicinia *Argentorati* ex MAPPI horto *Alſatico*. In *Helvetia* ex HALLERI iam Enumeratione Stirp *helvet*, nunc copioſius ex *Eiusdem Hiſtoria*. Item in *Italia* nempe in *Sabaudiæ* Alpibus ex RAII *libr. cit.* In *Gallia* porro: ſingulatim circa *Pariſios* ex TOVRNEFORTII Enumeratione plantarum circa *Pariſios* naſcentium & DALIBARDI Prodromo Floræ *Pariſienſis*, in propinguo *Montis Peſſulani* ex SAVVAGESII & GOVANI Floris *Monspeliacis*. Pariter in *Anglia*, ubi hoſpes potius, quam civis habenda ex ſententia BARRINGTONI, *Transact. Philoſ. Vol. LIX.* Nec dubito, quin in aliis locis indigena ſit, quorum Floræ mihi ad manus non ſunt, vel nondum exſtant. Præterea ex ſingulis fere patet montoſas ſylvas incolere, & ex SCHREBERO ſolum arenoſo-argilloſum præcipue amare, nonnumquam vero & hoſpitari locis humilioribus paludoſis; præſertim in *Polonia*, ut teſtatur GLEDITSH l. c.

Quibus denique adhuc ſubiungimus uſum Aceris noſtri oeconomicum, ex EHRHARTO, GLEDITSHIO, SHREBERO, LINNÆO aliisque ſupra citatis, mutuatum, ſed breviatum. Cuius *totius* & *vivi* eſt ex dictorum Virorum teſtimoniis ad *ambulacra* & ad *ſepes vivas*, quibus poſterioribus ob id, quod non facile fruticet, ineptius duco. Tum ad *ſilvulas*, quæ in id ipſo conſeruntur, ut, dum fruticet, ſit pro *ligno ſecundario*, dum arboreſcat, pro *primario*. Quemadmodum & alius *partium* eſt: ut *ligni* ſæpius *variegati* & *nodorum* & *radicum crispatarum* ob pulchritudinem & alias ſupra dictas dotes ad *Scriniariorum* varia *opera*, & ad alia *tornando* paranda; *foliorum tenerorum* pro *acetariis*, *adulticrum* pro *pabulo*; *ſucci* ex ipſis hieme l. primo vere ſauciatis ſtillantis pro *ſaccharo* conficiendo, & *florum receptaculi* balſamiferi l mellifiui apibus pro *melle*.

TAB. XCII.

HELICTERES (Iſora) decandra, foliis cordatis ſerratis, fructu toto contorto. *LINN. Syſt. XII. T.* 2 *p.* 601. *n.* 2.

HELICTERES (Iamaicenſis) foliis cordatis, ſerratis; floribus decandris; fructu compoſito, integre contorto *IACQ. Americ p.* 235. *t.* 179. *f.* 99.

HELICTERES villoſa & fruticoſa; foliis cordato-acuminatis, ſerratis. *BROWN. Iam.* 330.

HELICTERES (arboreſcens) caule arboreo villoſo, foliis cordatis crenatis nervoſis ſubtus tomentoſis, fructu ovato contorto villoſiſſimo. *Mill. Dict. VIII. n.* 3?

HELICTERES arbor indiæ occidentalis, fructu maiore. *PLVKN. Alm.* 182. *t.* 245. *f.* 3.

ISORA althææ foliis, fructu breviori & craſſiori, *PLVM. Gen.* 24. *t.* 37. *f.* 2.

ABVTILO affinis arbor althææ folio, cuius fructus eſt ſtyli apex auctus, quatuor vel quinque ſiliquis hirſutis, funis adinſtar in ſpiram convolutis. *SLOAN. Cat.* 97. *Hiſt. I. p.* 220.

Nota. Helicteris Iamaicenſis, cum nulla adhuc, quantum ſcio, exſtet icon, præter unicam florum, noſtris perſimilium, a PLVMIERO, & aliquas fructus ab EODEM & PLVKENETO & IACQVINIO l. l. ſupra c. c. datas: hinc noſtram ſuperfluam non fore exiſtimo; præſertim cum LINNÆI *memoratæ ſpeciei prima varietas*, in *ſpeciebus plantarum lit. a* indicata, quemadmodum cum aliis ſuſpicor, non ſit varietas, ſed vera & diſtincta ſpecies. Nam quæ in *Horti Malabarici Tom VI. tab.* 30. & in RVMPFII *Herbarii Amboinenſis Tom. VII.* vel *Auctuario* potius, tab. *XVII. fig.* 2. delineatur & in illo *pag.* 55. & in hoc *p.* 32. deſcribitur, a *jamaicenſi* multum differre videtur; cum hac quidem foliis, ſed non penitus, caule, petiolis villoſis, (quales & rami iuniores in noſtra eſſe ſolent,) rurſus fructibus in totum contortis, congruere animadvertitur: at non itidem floribus, iam brevius & diſcrete pedunculatis, maioribus duas uncias longis, latioribus unciam unam latis; ipſorum calyce, ut RVMPFIVS memorat, alio minori triphyllo cincto; petalis ſitu & proportione aliis, nec albis ſed luteis, & nigricantibus maculis conſperſis; item ne fructu quidem, licet toto contorto, tamen maiori, uncias duas & dimidiam longo, graciliori, maturato pediculo non recte inſiſtente ſed transverſe incumbente; & quæ ſunt alia diſcrimina, quibus hanc a jamaicenſi ſpecie diverſam puto. Sed iam mihi incumbit rationes exponere, quare plantam, in icone noſtra depictam, pro *jamaicenſi* habeam. Id quod eo magis neceſſarium duco, quod imagini noſtræ originali præter nomen Plumerianum nil ſit adſcriptum; quod dictæ plantæ nulla adhuc extet figura, nec talis deſcriptio unde in eius veram concludere liceat faciem; quod plures eius analogæ ſpecies per noviora tempora innotuerint; tandem, quod propter duplicem fructum, a diverſis ſpeciebus iconi noſtræ appictum, ſit dubium, ad quem ramus floridus referri debeat. Atvero quod dicta ſit, ex eo potiſſimum colligendum eſſe cenſeo, quod cum *duplicis* generis vel fructus *jamaicenſem* vel *bravenſem* indicare oporteat, (nam *alter A.* de quo dubitare poſſis, iam ob ſuam brevitatem & craſſitiem LINNÆI *dictæ ſpeciei varietatem primam*, & ob faciem plane diverſam eius *ſecundam*, puta

jama-

Jamaicenſem JACQVINII, inde & ob fructum contortum & apices hiantes, licet magis curvos, aliam quam *poſteriorem*, nempe *bravenſem*, indicare nequit,) inde vel *hæc* vel *illa* ſit neceſſe ſit, hæc vero ex deſcriptione & figura JACQVINII iam ob florem eſſe non poſſit, hinc illa ſit oporteat. Quod noſtrum porro aſſertum SLOANI deſcriptio cum noſtra icone, in quantum fieri potuit, collata, ex parte confirmat, quæ huic quoad folia, in noſtra tantum maiora, calycem viridem hirtum, petala alba conformis eſt. Ideinque ex PLVMIERI figura liquet, floribus & fructu, ob quem *jamaicenſem* iudico, noſtræ perſimili. Neo aliam eſſe MILLERI *arboreſcentem*, ipſi tertiam, arbitror; licet ſuam *breviorem*, ordine ſecundam ex *Jamaica* ab HOVSTONO obtinuiſſe referat, illam vero arboreſcentem ex *Carthagena*, unde brevior potius hæc, arboreſcens vero alia eſſe videatur. Potiſſimum vero ea de cauſa *jamaicenſem* habeo, quod huius non illius fructus ſint villo denſe obtecti, jamaicenſis proprium, præterea & reliqua deſcriptio fere in totum, excepto quod folia an vere? deſcribantur crenata non ſerrata, cum noſtra icone conveniat. Sed quod in arboreſcenti pro loco natali Carthagenam, in altera vero breviori Iamaicam indigitaverit, puto fuiſſe in cauſſa, quod vel jamaicenſis itidem in Carthagena & brevior iuxta hanc jamaicenſem in Jamaica creſcat, vel quod ſemina aut fructus utriusque plantæ, quæ de utraque forſan eodem tempore ab HOVSTONO acceperit, fuerint ſive ab hoc ſive ab ipſo permutata, vel quod arboreſcentis ſuæ deſcriptionem ex ſicco exemplari ipſi cum fructibus ex Carthagena transmiſſo, & brevioris ex recenti planta, in Anglia educata, ob clima minus perfecta, confecerit. Verum quum hoc ultimum, cæteris veri diſſimilius, fuiſſet, & hoc inde colligi poſſet quod fructus noſter A. quem bravenſis eſſe diximus, ſit forſan idem jamaicenſis minus perfectus; cui vero coniecturæ ob ſupra enumeratas cauſas aſſentiri nequeo: potius credens hunc eſſe a dicta bravenſi, & breviorem MILLERI cum hac unam eandemque.

Ex dictis igitur nunc tantum patebit *noſtram iconem* referre H. *jamaicenſem*, & illam *arboreſcentem* MILLERI eſſe *eamdem*, huius *breviorem* vero pro *una eademque* cum *bravenſi* habendam, & *fructum* A. *iconis noſtræ* ad *hanc* iterum referendum. De *jamaicenſi* vero ipſa *nullam* hactenus exſtare *ieonem plantæ ramum*, vel *totam*, exhibentem, quam eam, quam modo dedimus; nec dictæ plantæ eiusmodi *deſcriptionem*, unde in veram eius faciem concludere liceat. Nam a PLVKNETO, PLVMIERO, BROWNIO, LINNÆO nulla, a JACQVINIO, qui arborem eius tantum fructibus gravidam, floribus vero quin & foliis iam orbam, vidit, quoad viſas partes aliqua, & a SLOANO & MILLERO, qui eius pleniorem, (præcipue poſterior, dummodo de eadem ut ſuſpicor eſt) dederunt, non perfecta data eſt. Unde iuxta iconem noſtram, nonnulla ex iis præcedentium mutuans, propriam, itidem non completam, ſed tamen dictis perfectiorem, accurare decrevimus: iam ſequuturam.

Planta *arborea*, pedum circiter 12 l. 14 altitudine, ſuberecta: caule reclinato. Caulis rotundus, craſſitie femoris, cortice bruno tectus, mox ſubramoſus. *Rami* cauli ſimiles, terminatiin alios minores, iuniores, virides & pubeſcentes, (pube forte glanduloſa) vel potius ſpecie hirtos, quibus inſident folia cordata, ſupra glabra infra tomentoſa, ſerrata, acuta, nervoſa, petiolata: *petiolis* parvis, itidem incanis; ſtipularia: *Stipulis* ſubulatis. Flores axillares, longe pedunculati. *Pedunculi* ſolitarii, ſubumbellati, itidem hirti, aſcendentes, diviſi in tres, quatuor minores, inæquales, ſæpius incurvatos, alioqui maioribus ſimiles, & in baſi aliquot ſubrotundis depreſſis *glandulis* præditos, niſi fuerint *bracteolarum* delapſarum cicatrices. His inſiſtunt *flores* adhuc immaturi intra calycem ſuum globati, matureſcentes & expanſi cernui, infra hiantes & ſequentes. *Calyx* campaniformis, hirtus, coriaceus; ore obliquo, inæqualiter quinquedentato. *Corolla* pentapetala. *Petala* receptaculo inſerta, calyce longiora, oblonga, fere æqualia. *Receptaculum* genitalia ſuſtollens filiforme, permagnum, e rima floris aſcendens, incurvatum. Cuius in ſummitate *Germen*, deſinens in *Stylum* ſubulatum, & *Stigma* quinquedentatum? Circa idem *Antheræ* circiter 10, fere ſeſſiles. Fructus qui florem conſequitur, eſt magnus 4 l. 5 capſularis, ſubovatus, penitus contortus, acutus, villoſiſſimus. *Semina* parva.

TAB. XCIII.

ARCTOTIS (acaulis) pedunculis radicalibus, foliis lyratis. *LINN. Spec.* 1306. *MILL. Dict. VIII. n.* 6.

ANEMONOSPERMOS africana, folio plantaginis, flore ſulphureo. *COMM. rar.* 35 *t.* 35.

Nota. Planta, cuius imaginem ab EHRETO pictam tab. XCIII. exhibuimus, iſta eſt, quam COMMELINVS in *Iconibus plantarum rariorum* primus t. c. delineavit & p. c. deſcripſit, & quam dein LINNÆVS l. c. nomine ſupra memorato a congeneribus ſpeciebus diſtinxit, & quam itidem MILLERVS in *Dictionarii hortulanorum octava editione* nomine LINNÆANO indicavit, ubi & ipſi deſcriptionem aliquam & culturam ſubiunxit. Ipſa vero, dum ex icone noſtra iudicamus eamque cum COMMELINI deſcriptione & delineatione componimus, ſequentem in modum eſt comparata.

Radix brevis, difformis, craſſa, filamentoſa. Folia radicalia, lyrata, proſtrata, iuxta COMMELINVM longius petiolata, ſupra pubeſcentia, infra tomentoſo-incana. Pedunculi radicales, plures, erecti, uniflori, ſubrotundi, glabri ex icone noſtra, at ſubhirti ut COMMELINVS refert & delineat, ante antheſin nutantes. Flores efflorereſcentes erecti, compoſiti, magni. Calyx communis patenti-imbricatus, ſubrotundus; ſquamæ inferiores appendiculatæ: appendiculis reflexis; reliquæ ovatæ; ſingulæ ſubcoloratæ. Corolla compoſita, radiata: radio expanſo, maximo, chryſomeliano, ſubtus atro-purpuraſcente: umbone ſ. diſco convexo, nigricante. Flores radiati fœminei, ligulati, lanceolati, tridentati; diſci tubuloſi: limbo quinquefido. Antheræ connatæ, ſulphureæ. Semina, teſtante COMMELINO, oblonga, tomento obvoluta.

TAB. XCIV.

CEANOTHVS (americanus) foliis trinerviis *LINN. Spec. p.* 284. *MILLER. Dict. T.* 86. *du HAM. Arb. p.* 138. *t.* 51. *GRONOV. virg. II. p.* 32. *FABR. Helm.* 233. *du ROI Harb. I.* 135.

CEANOTHVS corymbis folio longioribus *L. Hort. Upſ.* 51.

CEANOTHVS *L. Act. Upſ.* 1741. *p.* 77.

CELASTRVS inermis, foliis ovatis ſerratis trinerviis, racemis ex ſummis alis longiſſimis. *L. Hort. Cliff.* 73. *GRONOV. Virg. I.* 25. *ROY. Lugdbat.* 435.

EVONYMVS novi Belgii, corni fœminæ foliis. *COMM. Hort. I. p.* 167. *t.* 86. *RAI. Dendr.* 69.

EVONYMVS iuiubinis foliis, carolinienſis, fructu parvo fere umbellato. *PLVK. Alm.* 139. *t.* 28. *f.* 6.

EVONYMOIDES carolinienſis zizipbi foliis. *IB. NARD. Act.* 1716. *p.* 369.

Nota. PLVKENETVM iam in *Phytographia t.* 28. *f.* 6. Ceanothi huius dediſſe iconem, eamque in *Almageſto* p. c. nomine ſupra enumerato indicaſſe, ex icone conſtat. Ipſe vero ramum delineavit, foliis ſuis veſtitum, & ex horum axillis pedunculos ſingulares, alios florigeros, alios fructiferos emittentem, cui fructus dehiſcens, naturali, ut videtur, maior, & ſemina ſeorſim adpicta ſunt. Eundem dein COMME-

MELINVS l. c. nitide depictum dedit, ipſi accomodans deſcriptionem, niſi optimam, tamen non plane ſpernendam. Poſt MILLERVS & *du* HAMEL ll. cc. eius adornarunt iconem, ſed dicta COMMELINI non meliorem, potius viliorem, dum ſpectes nitiditatem, id tamen MILLERIANA præ COMELIANA præcipuum habet, ut ſit coloribus vivis decorata, & *illa du* HAMELII, ut in tabella, deſcriptioni & iconi totius plantæ præmiſſa, fructificationis partes maxima ex parte nitide exprimantur. Hactenus nullus alius, quantum novi, præterquam dicti, eius aliam dedit iconem. Quare permoti ſumus hanc noſtram, ab EHRETO delineatam, publicare; præſertim cum non tantum ſiſtat ramum floridum, ſed etiam alium fructiferum, & utrumque coloribus ſuis nativis pictum, quin etiam taliter fructificationem ſeorſum, ſecundum omnes ſuas partes, nitidiſſime & accuratiſſime, & in naturali & aucta magnitudine, delineatam, ita, ut melior, nitidior & plenior eius vix dari potuiſſet icon; his accedat ut planta ſit cognitu præ aliis digna, quum ut raritate, ſic & præcipue ſe commendet utilitate: *decocto radicum Canadenſibus*, teſte KALMIO (*Act. Suec.* 1750. *p.* 296.) quaſi ſpecifico contra fœdam illam Syphilidem, & *foliis ſiccatis* loco *Theæ*, in uſu. Reſtat ut memorem, eius & fructificationis varias iam exſtare deſcriptiones. Talem ſed adhuc incompletam dediſſe COMMELINVM; aliam & MILLERVM & *du* HAMELIVM, ſed pariter nondum perfectam; rurſus aliam *du* ROI; & *hunc* & proxime *præcedentes* fructificationis inſuper plenam. Huius vero primam, conciſa auctoris plenitudine commendabilem, accuraſſe LINNÆVM in *Actis Upſalienſibus* l. c. ubi proprio primum dignam cenſuit nomine generico nuncupans Ceanothum, quod ipſi hodiedum eſt: poſt in *Generum plantarum diverſis editionibus;* in reliquis vero ſuis ſcriptis, ubi eundem memoravit, in ponenda eius differentia ſpecifica & nomine triviali tantum fuiſſe occupatum. Sed ex his denique & partim icone noſtra liquere, *plantam* hanc in *Americæ ſeptentrionalis* regionibus plurimis eſſe *domeſticam* & valde *crebram*, *frutificari* & ex *radice* ſtatim, multiplici, longa, craſſa & rubicunda plures edere *cauliculos* teneros, frigoris intenſioris impatientes, tres ad quatuor pedes, altos, perramoſos &, quemadmodum ex ſiccata planta colligo, ſubrotundos, villoſos. His eſſe *folia* ut plurimum alterna, ovata, trinervia, lævia, luteo viridia, infra ſubincana, ſerrata, acuta, petiolata: petiolis parvis, piloſis. Denique ex *horum ſuperiorum axillis* prodire *pedunculos* longos, rectos, ipſis longiores, rubentes, graciles, rotundos, *flores* perpuſillos, niveos, ſubrubentes, confertim & faſciatim Corymbi compoſiti in modum gerentes, qui ſunt cum *fructibus* ſubſequis, ut delineantur in *icone noſtra* & deſcribuntur in LINNÆI *charactere generico.*

TAB. XCV.

MIMOSA (ſenſitiva) aculeata, foliis coniugatis pinnatis: partialibus biiugis: intimis minimis *LINN. Spec.* p. 1501. n. 13.

MIMOSA caule aculeato, foliis geminatis: partialibus tetraphyllis, foliolis intimis minimis. *ROY. Lugdb.* 471.

MIMOSA altera ſpinis horridiuſcula & ſenſitiva magis H. R. P. *TOVRN. Inſt.* 606.

ÆSCHYNOMENE ſpinoſa prima, ſ. braſiliana latifolia ſiliquis radiatis *BREIN. Cent.* 31. t. 16.

Nota. Planta, quam tab. XCV. depictam dedimus, a BREYNIO iam l. c. ſatis accurate delineata eſt, qui eius exhibet ramum, ſatis magnum, at parum diminoratum, quoad partium proportionem, figuram, ſitum & armaturam fere in totum iconi noſtræ & ipſius deſcriptioni reſpondentem, & præter pedunculos florigeros etiam unum fructiferum producentem, ut hæc BREYNIANA icon bonis idcirco accenſeri iam mereatur; præterea etiam ob id ſit magni facienda, quod ſit prima, &, quantum novi, hactenus unica de hac planta. Nec propemodum noſtram ideo publicaſſemus, niſi, ut hanc plenitudine & accuratione æquat, ſic rurſus partium naturali magnitudine, facie nitidiori & vividiori, quum ſit coloribus ſuis vivis picta, præſtet. Quemadmodum & propriam non addidiſſemus deſcriptionem, propterea, quod BREYNIVS iam eius itidem amplam & plenam, & MILLERVS in *Dictionario hortulanorum* non malam, dedit, niſi illius conciſiorem & genio præſenti magis accommodatam, & huius auctam obſervatis, collatam cum utraque icone, noſtra & ſua, reddere animus fuiſſet. Quare non diſpliciturum ſpero.

Planta vero ipſa ex dictorum deſcriptione eſt Frutex, pedem ſeptem l. octo altitudine. Eius Caulis & Rami pallidi, quadrangulares, fragiles, medulla nivea referti, angulis aculeati: aculeis parvis, recurvis, luteis. Folia coniugato-biiugia, ſupra glabra & nitida, infra tomentoſa & glauca: *partialium intimo* minimo, ovali; *reliquis* magnis, oblongis, margine interiore arcuatim cavatis, ſuperius lateſcentibus. *Petioli* magni, protenſi, agitati ſe ſponte demittentes, itidem angulares, aculeati, ſupra bifidi, foliiferi, terminati ſpina, puto, inermi. Flores aggregati & denſati in capitula globoſa, pedunculata: *Pedunculis* ſubhirtis, in baſi utrinque *bracteola* præditis, vel axillaribus vel terminalibus, communi, ſæpius pedali, alternatim inſidentibus, nec ſolitariis, ſed pluribus, tribus, quatuor ut plurimum, iunctis. Flores porro rubicundi, interſtincti *bracteolis* ſ. ſquamulis pallidis, ſpinoſulis; ex obſervatione LINNÆI apetali & pentandri; infra & circa circum *masculi*, plurimi; ſupra vero & in medio, ut ſuſpicor, *fœminei* l. *hermaphroditi*, pauciores. Fructus *legumina* pluria, in eodem pedunculo octo l. decem, radiorum inſtar expanſa, oblonga, membranacea, compreſſa, nodoſa-articulata, recentia (dum ſicca huiusmodi non eſſe videantur & MILLERVS eorum talium non iniiciat mentionem) hirta, & in ambitu a ſtimulis ſpinoſula, filo vinciente futuris nexa, eodem ſoluto dehiſcentia in valvulas duas ut annotat MILLERVS, & hæ iterum transverſim, ut refert BREYNIVS, in 4. l. 5. paralellogramma, intus interſtincta diſſepimentis transverſis, parallelis, in noſtris plurimis, in BREYNII paucioribus. An noſtra ideo a vera planta, an errore ab alia planta? aut differunt forſan legumina huius noſtræ plantæ in *Vera Cruce*, ut ex HOVSTONI imagini originali ab EHRETO adſcripto nomine & MILLERI eidem iconi analoga deſcriptione colligo, ſpontaneæ, ab iisdem plantæ in *Braſilia* domeſticæ? an multiplicantur loculi? *Semina* in his leguminibus iuxta MILLERVM ſæpius unicum, nonnumquam duo & tria: ſecundum BREYNIVM in ſingulo loculo ſingulum; ex huius deſcriptione ovatum, compreſſum, cinctum annulo, olivaceum; ex illius ſubrotundum, compreſſum.

TAB. XCVI.

PIPER (obtuſifolium) foliis ovatis enerviis. *LINN. Syſt.* XII. T. II. p. 68. n. 12.

SAVRVRVS alius humilis, folio carnoſo, ſubrotundo *PLVM. Americ.* 53. t. 70.

Nota. Plantam, cuius iconem Tab. XCVI. ſtetimus in *America calidiori* naſci, ex PLVMIERO ſcimus, qui totius l. c. ſat accuratam dedit figuram, ſed pro more tantum linearem, at primam & unicam de hac planta. Quare noſtram ab EHRETO nitide & accurate delineatam & coloribus ſuis vivis ornatam edere permotus ſum, tantummodo dolens, quod fructificationis character omnino non fuerit adpictus: ſed non mirum quum ſit difficillime depingendus tam ob parvitatem floris, oculo nudo vix conſpiciendi, quam ob id, quod fructus in Anglia plane non, vel rariſſime, matureſcant. Planta vero ipſa ex noſtra icone & PLVMIERI & MILLERI deſcriptione

ptione huiusmodi eſt: Paraſitica, putridis innaſcens trancis. Radices fibroſæ, repentes, parvæ. Caules plures primum repentes, poſt erecti, carnoſi, rotundi, pedales, geniculati, e geniculis ſubinde ramoſi & foliiferi, infra radicantes; læves, maculoſi, (quod nec in PLVMIERI delineatione nec in eius deſcriptione indicatum animadverto:) maculis rubris. Folia alterna, petiolata: *petiolis* craſſis, maculatis; ovata, carnoſa, glaberrima, fere enervia. Spicæ erectæ, tenues, vel terminales vel foliis oppoſitæ, pedunculatæ: *pedunculis* parvis, incraſſatis, conſtantes *receptaculo ſtyliformi* infra nudo & *floſculis* parvulis, oculo nudo vix conſpiciendis, per huius maximam & ſuperiorem partem diſſeminatis.

TAB. XCVII.

GALEGA (cinerea) leguminibus ſtrictis patentibus pedunculatis, racemis oppoſitifoliis, foliolis mucronatis ſubtus villoſis. *LINN. Amœn.* 5. p. 403. *Spec.* 1062. n. 2?

GALEGA herbacea, ſubcinerea, villoſa, foliis oblongis pinnatis, ſpicis laxioribus ad alas. *BROWN. Jam.* 289.?

VICIA foliis pinnatis abruptis. *GRONOV. Virg.* 2. p. 106?

ONOBRYCHIS foliis hirſutis, floribus in ſpica pendula denſe ſtipatis, vexillo luteo & carina rubra, ſiliquis compreſſis erectis hirſutis, ſeminum unicam ſeriem continentibus. *CLAYT. Herb.* n. 58.?

Nota. Planta, cuius iconem dedimus, cui cognitæ adhuc adnumeranda ſit, minus certo mihi conſtat; unde ſynonyma, quæ ſupra indicavimus, ſub ſigno interrogationis proponere coacti ſumus. Hanc Galegæ ſpeciem eſſe ex facie externa præcipue colligo, cum character floris prorſus non, & fructus non plene & accurate, ſit delineatus, nec ab EHRETO, qui imaginem pinxit, ſit tale nomen adſcriptum, unde in veram plantam concludere liceat; ſed hic tantum iconi ſubdiderit; ſe hoc ſpecimen ex *Neu-York* obtinuiſſe, ſibique ex ſeminibus & leguminibus iudicanti videri *Cytiſi ſpecies* & præcipue notatu dignum, quod in thyrſo, ut loqui amat, pedicelli per paria collocentur, præterea ſe ſuſpicari plantam non altiorem fieri, quam hic depicta ſit ob caulis infimam partem, iam aliam. Sed dum Galegæ generi adſcribimus, alij eius ſpeciei, quam *Cinereæ* LINNÆI adnumerare nequimus; cum qua caule, foliis in totum, niſi quod in noſtra plura paria delineentur, ac in deſcriptione LINNÆANA, in *Amœnitatibus Academ.* l. c. data, indicentur, quod variare potuit, præterea ſtipulis, floribus & leguminibus maxima ex parte, excepto, quod parum arcuata depingantur, deſcribantur vero ſtricta, convenire videtur. Cui ſententiæ & amiciſſimus SCHMIDELIVS ſubſcribere non dubitavit. BROWNII ſynonymum ex auctoritate LINNÆI addidimus. At reliqua ſynonyma, quæ ſubiecimus, idcirco adpoſuimus, quod CLAYTONI nomen eamdem quam noſtra icon indicare videatur plantam; licet GRONOVII nomen id diſſuadere videatur, cum noſtra planta nec Viciæ generis eſſe poſſit, nec ſit foliis pinnatis abruptis, ſed pinnatis cum impari: unde & his ſignum quæſtionis addidimus. Planta ipſa ex noſtra icone eſt huiusmodi: fruticoſa. Caules debiles, ſubrotundi, ut videtur erecti, ſupra pubeſcentes & roſei, quemadmodum *pedunculi* & *pedicelli* hos terminantes. Folia pinnata cum impari, 7 — 11 iuga, lanceolato-linearia, ſubtus inprimis cinerea & villoſa, mucronata, ad angulum acutum ſtriata. Stipulæ ſubulatæ rubicundæ. Folio ſupremo Racemus oppoſitus, rectus, Flores *pedicellatos* per paria colligens. Horum Calyx ſubquinquefidus, villoſus. Vexillum ſubrotundum, magnum, emarginatum, reflexum, ſulphureum. Alæ vexillo paulo breviores, roſeæ. Carina alis brevior, rurſus pallide ſulphurea. Legumina erecto-patentia, parum arcuata, cinerea, pubeſcentia, compreſſa, bivalvia. Semina plura, ſubrotunda.

TAB. XCVIII.

ITEA Virginica *GRONOV. Virg.* 143. *II.* p. 34. *LINN. Spec.* p. 199. *II.* p. 289. *du HAM. Arb. I.* p. 319. *t.* 126. *du ROI Harbet. I.* 320.

DICONANGIA *MITCH. Gen.* 5.

Nota. *Planta*, cuius iconem t. XCIII. exhibuimus, eſt GRONOVII Itea, ab ipſo in Flora virginica hoc nomine, tanquam eius regionis, cuius catalogum plantarum fiſteret, incola, indicata: charactere eius generico ab *Eodem* in *LINNÆI Generum Plantarum altera editione* dicto ſub nomine publicato. Cuius & nomen & characterem genericum dum LINNÆVS l. c. adoptaret, in *priori* & in *altera* ſua *Specierum* plantarum editione *pentandris monogynis* accenſens & locans poſt BRVNIÆ ſpecies, hoc nomine & cognomine virginicæ, enumeravit. Quod nomen & cognomen *du ROI* pariter, dum eam inter arbores & frutices, *Harbeccæ* ſolum & cœlum ferre ſuetas, p. c. enumeraret eiusque deſcriptionem bonam & plenam daret, recepit. Delineationem vero plantæ ipſius, quæ adhuc exſtat, primam & unicam, dedit *du HAMEL* in *Tomo primo Tractatus arborum*, ubi tab. 126. eius ſiſtitur ramulus, ſed absque floribus, nec alioqui facie pulcher nec admodum accuratus, dum dictam p. 289. eodem nomine nuncuparet, & in tabella floris characterem, itidem minus accurate & pulchre delineatam, præmitteret. Paulo poſt GRONOVIVM *MITCHELL* in *Generibus* ſuis *novis Volumini VIII. Actor. Acad. Nat. Curioſ.* inſertis & ſeorſim *Norimbergæ* 1769. editis, n. 5. huius proprium nomen genericum cum charactere publicavit, nominans Diconangiam, non reprobandum & a quibusdam receptum. Jam vero cum nulla adhuc alia eius exſtet icon, ac illa, quam dedit *du HAMEL*, nec hæc ſit bona, noſtram ſecundum EHRETI imaginem nitide pictam accurate factam publicaturus, actum agere non arbitror; præſertim cum ramulum floridum, nitide & accurate depictum, adblandientem coloribus ſuis vivis, & characterem floris talem, ſed non fructus, (planta in *Anglia*, teſte MILLERO, adhuc perrara,) exhibeat.

Hanc cum inſpicimus, facile animadvertere eſt plantam eſſe e fruteſcentium l. arboreſcentium genere. Cuius rei adhuc certiores ſimus, dum LINNÆVM in brevi deſcriptione, eius nomini in *Syſtematis Naturæ noviſſima editione* ſubnexa, MILLERVM in *Dictionario hortulanorum* & *du ROI* l. c. conſulimus, unde porro & ex icone noſtra conſtat fruticem eſſe altitudinis humanæ, vel potius ſex aut octo circiter, & in patria iuxta MILLERVM quatuor aut quinque pedum, ramoſiſſimum, erectum; ramos ſubrotundos, ſupra ſubincanos, folioſos; Folia lanceolato-ovata, alterna, ſerrata, rubro-marginata, acuta, ſupra glabra, ſubtus venoſa, pallida, petiolata: petiolis parvis rubentibus; Flores coniunctim terminales racemoſos: Racemis erectis, longis, ſubverticillatis, an ut refert GRONOVIVS ſecundis? ſingulatim parvos, albos, primum cylindraceos, dein patentes; Calycem monophyllum, fundo ampliatum, parvum, perſiſtentem, quinquedentatum: denticulis acutis, rubicundis; Corollam pentapetalam, albam, primum erectam, dein patentem, calyce multo maiorem: petalis lanceolato-linearibus, acutis, canaliculatis, calyci inſertis; Stamina quinque, calyce maiora, corolla minora; Filamenta erecta, ſubulata; Antheras incumbentes; Piſtillum ſtaminibus longius, tamen corolla brevius; Germen ovatum; Stylum cylindraceum, perſiſtentem; Stigma iuxta iconem noſtram & LINNÆI characterem genericum obtuſum, ex deſcriptione

du ROI & eadem & delineatione *HAMELII* bifidum: an flori adultiori demum tale? Ex LINNÆO denique & *du ROI* addo fructum ovatum, calyce perſiſtente multo maiorem, ſtylo perſiſtente terminatum, unilocularem, bivalvem, apice dehiſcentem; Semina plura, parva.

TAB. XCIX.

ELLISIA Nyctelea *LINN. Spec. app. p. 1662. n. 271. Mant. II. p. 336.*

Nota. Plantam, cuius imaginem tab. XCIX. exhibuimus, LINNÆVS primum in *Specierum* plantarum *prima* editione Ipomœæ, cognomine Nyctaleæ, adnumeravit, in *altera* earum editione Polemonio cum ſigno interrogationis eodem cognomine adſcripſit & in *appendice* eiusdem editionis p. c. novum inde confecit genus, Elliſiam nuncupans in honorem percelebris Botanici, nomine ELLIS: cuius characterem genericum in *noviſſima Generum* plantarum editione pro more pleniſſime & concinne deſcriptum dedit; totius vero plantæ iam aliquam, ſed quoad florem & fructum minus perfectam, exhibuit in *Speciebus plantarum, ſecundo* editis, p. 231, ubi eius adhuc ſub Polemonii genere fit mentio, deſcriptionem. Hanc pleniorem & perfectiorem ſecundum omnes partes, etiam charactere generico nonnihil immutato & correcto, reddidit in *altera* plantarum *Mantiſſa* p. ſupra c. Qua cum noſtram dum conferimus iconem per ſingula deſcriptioni LINNÆANÆ conformem reperimus. Nam & caulis plantæ, in noſtra icone depictæ, dichotomus, diffuſus, ramoſiſſimus (ramis in noſtra maxima ex parte amputatis) proſtratus, ſubteres, (præterea *pubeſcens*, *circa axillas violaceus.*) Folia Hydrophylli, alterna, petiolata, (*inæqualiter*) pinnatifida: laciniis acutis, *ſubdentatis.* Pedunculi oppoſitifolii, uniflori, patentes, (*ut caulis*) pubeſcentes. Flores cernui. Calyx monophyllus, quinquepartitus, acutus, corolla *fere* maior, (*tempore*) dehiſcens. Corolla monopetala, infundibuliformis, alba: *limbo* quinquefido; *laciniis* ſubrotundis, intus punctulis purpureis. Capſula ſcortiformis, exaſperata, bilocularis, calyci tum maximo, plano, ſtellari, innata. Semina in ſingulo loculo 2, globoſa, punctata: at eadem non iuxta ſe, ſed unum ſupra alterum locata, nec diſtincta diſſepimento transverſali. His addimus ex *Generibus plantarum*, quum in citata *Mantiſſa* fuerint omiſſa, noſtræ vero iconi ſint itidem congrua; nimirum, quod Staminum ſint quinque, tubo adnata eoque breviora; Antheræ ſubrotundæ; Piſtilli Germen ſubrotundum; Stylus brevis; Stigma bifurcum.

Dum Manuſcriptum illuſtrationi Decadis decimæ & ultimæ harum imaginum ſelectarum dicatum typis tradere volebam, en ex inopinato & ægre animadverti, hanc noſtram iconem ab EHRETO iam ipſo per b. TREWIVM in *Actis novis Acad. Nat. Cur.* 1761. T. II. t. VII. f. 1. cum charactere fructificationis f. 2 --- 11, nomine *plantæ Lithoſpermo affinis*, accurate & nitide ſculptam & coloratam publicatam & p. 330-332. ab *Eodem* deſcriptionem plantæ totius aliquam, & characteris generici ſecundum propriam delineationem factam, ubi & in ſingulo loculo ſeminum binorum non iuxta ſe, ſed unum ſupra alterum poſitorum, fit mentio, datam eſſe, propriis a b. TREWIO ſubnexis cogitatis, plantæ nomina, & *genericum* & *ſpecificum*, concernentibus. Juxta quæ, dum calycem & fructum negligimus, generi *Lithoſpermi* adnumerari poſſet, dicendi *foliis pinnatifidis pericarpio carnoſo*; dum vero ob calycem fructu increſcentem & lateſcentem & fructum peculiariter conſtitutum novum inde conderetur genus, dici poſſet *Macrocalyx* l. *Colpophyllos.*

TAB. C.

IRIS (ochrolevca) corollis imberbibus, germinibus ſexangularibus, caule ſubteteti, foliis enſiformibus ſtrictis *LINN. Mant. II. p. 175.*

Nota. Planta, quam tab. C. depictam dedimus, a nemine hactenus, quantum novi, præter LINNÆVM, qui nomine ſupra indicato eius in *Mantiſſa altera* p. c. mentionem fecit, ubi & eiusdem concinnam deſcriptionem dedit, memorata eſt; niſi forte illa Iris MILLERI eſt, quam dixit (orientalem) corollis barbatis, germinibus trigonis, foliis enſiformibus, longiſſimis, caule foliis longiore bifloro, & cuius delineationem dedit in *Iconibus* tab. 154, quæ a noſtra parum differt, niſi quod huius floribus ſit barba adpicta, quæ noſtræ non eſt, præterea in differentia ſpecifica germina dicantur trigona non ſexangularia. Anne variat hinc forſan barba, quod modo ipſi ſit modo deſit? exemplo quidem hactenus nondum obſervato. Et eſtne forſan nota germinum trigonorum, differentiæ ſpecificæ addita, non tam a germinibus, quam a capſulis ſ. fructibus matureſcentibus trigonis, angulis tantum duplici criſta ſ. carina præditis, deſumta? Quam in cogitationem non tantum ob ſimilitudinem figuræ plantæ totius & fructus veni, ſed etiam propterea, quod EHRETVS in margine extimo imaginis ſuæ annotaverit, ſemina huius Iridis, quam cum MILLERO novam putaret ſpeciem, MILLERVM a Doctore POCOCKE obtinuiſſe: quod MILLERVS itidem de hac ſua ſpecie, dum præfatur ipſius deſcriptioni, indicat, addens locum ubi dictus POCOCKE eandem ſponte creſcentem invenerit & unde ſemina ſecum avexerit, ſcilicet *Carniolam.* Iris vero hæc ipſa, quemadmodum ex LINNÆI deſcriptione & planta ipſa, quam per plures iam annos in *horto Academico* noſtro colimus, nobis conſtat, ſequentem in modum ſe habet. Radix horizontalis, craſſa, compreſſa, tortuoſa, annulata, intus compacta & multum fibroſa, perpendiculariter demittens multas *radiculas*, carnoſas, cylindraceas, villoſas. Caulis 1 --2. pedalis, fere teres, ſubcompreſſus, parum flexuoſus, undique foliis veſtitus. Folia *radicalia* fere longitudine caulis, erecta, ſecunda, enſiformia, ſtriata, anguſta. *Caulina* fere talia, ſed quo altiora eo minora, baſi caulem ab uno ad alterum vaginantia. Flores terminales, pedicellati, *ſpathis* ſuis bivalvibus incluſi, in quovis caule ut plurimum duo vel tres, tam preſſe ſibi adſtantes, ut alter alterum e loco ſuo emovere videantur, nec ultra corollam e ſpatha ſua eminentes. Corolla luteo-nivea, a venis flavis ſtriata, hexapetala: *petalis* tribus *exterioribus*, infra perangustis, medio & baſi flavis, alioqui niveis, reflexis; *interioribus* his parum anguſtioribus, æque longis, erecto patentibus, inferne & in medio pallide flavis, marginibus niveis. Stamina pro more generis tria. *Filamenta* ſubulata. *Antheræ* erectæ, oblongæ, biloculares, ochrolevcæ, introrſum dehiſcentes. Piſtilli *germen* inferum, tubo corollæ longo, e unguibus connato, ſubiectum, ſexangulare. *Stylus* longus. *Stigmata* tria petaliformia, alba, petalis interioribus minora, carinata, ſupra bifida. Pericarpium (quod & integrum, ſed ſpatha ſua denudatum & a duabus partibus ſibi oppoſitis, adhoc & dehiſcens & transverſe diſſectum, ſed & hoc propter maturitatem diſſepimentis iam hians cum aliquot ſeminibus a noſtra planta adpingendum curavimus,) latet intra ſpatham ſuam, & eſt ſexangulari-trigonum: angulis per paria ſibi approximatis, hinc facie tantum tribus, bis carinatis: ſulco profundo intermedio; alioqui ovato-oblongum, triloculare, trivalve, tricorne, a ſtylo ex parte remanente, in lacinias tres, valvulas terminantes, recurvas, fatiscente. *Semina* compreſſa, angulata.

MONITUM.

Cum centenarius numerus *imaginum plantarum ſelectarum* ab EHRETO ad Exemplaria naturalia, in anglicis Curioſorum hortis nutrita, nitidiſſime pictarum, quas b. TREWIVS ex propria collectione harum iconum maxima ex parte ſelegerat, & exſculpendas, vivisque ſuis coloribus ornandas utrique *HAIDIO, Patri* primo indeque *Filio*, mandaverat, atque nominibus idoneis, characteris explicatione, collectis ſynonymis & adiectis notis illuſtrandas ſibi ſumſerat, cuius partes poſt ipſius ſubitam mortem ex pietate in beatum Virum mihi, dum viveret, amiciſſimum, & in id exoratus ſuſtinere tentaram, iam ſit expletus, meum nunc eſſe cenſui, paucis indicare: *Johannem Eliam HAIDIVM*, qui poſt mortem b. Patris, quæ huius erant, ut iam dixi, in ſe ſuſcepit & dexterrime curavit, iam, cum b. *TREWII* voluntas paternaque ſit impleta, operi huic finem imponi velle. Quod ipſi propterea diſſuadere nolui, quod apte nunc fieri poſſet, & *Ehretianarum* iconum publicatu præ aliis dignarum tantus numerus non amplius eſſet, ut metam præfixam transſilire commodum putaremus. Etſi enim *Ehretianæ* icones, quæ adhuc ſervantur in collectione plantarum imaginum *Trevvianarum*, centenum & quinquagenum fere ſupergrediantur numerum, tamen cum maxima earum pars ab aliis iam & crebrius, nec multo deterius, depicta ſit, has denuo depicturus iniuſtius facere mihi ipſi viderer, cum & contra noſtrum inſtitutum eſſet, nec ego hanc Scientiam, iam iuſto pretioſiorem, mea culpa adhuc cariorem fieri, facile paterer: iam ægre ferens, quod in ultima Decade icon *Elliſiæ*, in *Actis novis* N. C. publicata, ſit recocta, qui plures pulchras icones in id iam ſepoſitas reiecerim, cum eas iam publicatas nollem denuo venditare Publico: Et eas, quæ adhuc ſuperſunt, ob raritatem, & alias præcipuas dotes inprimis dignas, quæ communicentur Publico, data alia occaſione interſerere non omiſſurus ſim; id tantum dolens, quod aliæ ſint imperfectius depictæ, nec character fructificationis additus, quo poſſint accurate determinari, nec nobis ſit cognita via, qua ea, quæ deficiunt, ſuppleri queant: aliæ vero, quum ſint parvæ nec natura ſpecioſæ, ob id iam ex parte ab *HAIDIO* reiectæ, convenientiorem alibi invenient locum. Monendum porro putavi, me læte quædam in *altera LINNÆI Mantiſſa* annotata legere, quæ ante eam viſam iam annotaveram, vel annotanda reſervaveram; & invenire inter novas *Eius* ſpecies *Iridem* noſtram *ochrolevcæ* nomine deſcriptam; quam talem habens ſecundum *EHRETI* originalem iconem depingendam curaveram. Contra nec reticendum putavi, me de *Veratro* noſtro, quod tab. 77. exhibuimus, nunc ſuſpicari, id eſſe *Heloniadem bullatam LINNÆI*, cum huius deſcriptio & delineatio, in *Amœnitatum Academicarum Volumine tertio* p. 12. t. I. f. 1. data, huic noſtræ conveniat, nec diſcrepet loco natali, noſtræ & *Linnæanæ* plantæ patria *Penſylvania* & finitimis locis; quin etiam ſciamus utramque ſolo fere eidem ſupercreſcere, propterea quod *LINNÆVS* de ſua, eam locis muſcoſis, *MILLERVS* vero de noſtra, eam umbroſis inhabitare perhibeat; ſuper hoc & ſit ex *MILLERI* relatione valde crebra, ut Botanici, in plantis eiusdem regionis attenti, oculos ſubterfugere non facile potuerit. Sed *MORISONI* & *PLVKNETI* figuras, quas citavit *LINNÆVS* in *Speciebus plantarum*, a noſtra diverſas cenſeo. Sic rurſus de *Melanthio*, quod dixi *virginicum* & delineandum curavi t. 81 me dubium, fere factum, an dictum ſit, quum ungues petalorum ipſis bracteis maiores & in charactere *LINNÆI* generico & ab *HILLIO* l. ſ. c. dicantur & ſint ſecundum Eosdem lineares: ſed ponderatis denuo ſupra memoratis rationibus decidentibus priſtinam ſententiam deſerere nolui; licet ungues latius & brevius delineati videantur, & hoc vitio adhuc magis laborent ſculpti, ſed tamen non deſint, & hi in iconis originalis, attentius inſpectæ, quibusdam floribus, ſitum lateralem magis tenentibus, clarius conſpiciantur, nec maiores a *PLVKNETO*, quem citavit *LINNÆVS*, delineentur. Item & hoc annotandum; me ſubdubitaſſe, an *Sida*, tab. 89. depicta, quam pro nova declaravi ſpecie, re vera talis ſit, cum *Sida Abutilon* dicta cum hac quam plurimum habeat convenientiæ & ipſa hoc anno in horto Academico noſtro pulvino ex lætamine, terra ſuperſtrato, facto inſata ibidemque adoleſcere licta, tulerit pedunculos vulgaribus maiores, flores non ſingulares, ſed confertos producentes: Verum, his propius inſpectis examinatisque, tales quidem videri, ſed re vera non eſſe, cum in ſummitate tantum huiusmodi conſpiciantur, & hi propterea tales videantur, quod ob flores in ſummitate confertius provenientes & folia ipſos diſtinguentia breviſſima, prima ſpecie ramulus pro pedunculo & pedunculi pro pedicellis haberi poſſint, ſed cum iisdem ſemper internaſcuntur foliola, nec umbellæ veram faciem unquam induant, illis noſtræ, pro novæ habitæ, comparari nequeunt. Nec illud ſilentio prætereundum puto, me de *Helicteře*, tab. 92. publicata, quam dixi *LINNÆI Iſoram*, *JACQVINII Jamaicenſem*, fere ambigeris, an dicta ſit, cum *JACQVINIVS* in ſua *Enumeratione ſyſtematica plantarum americanarum* vel *novarum* vel *minus cognitarum*, in fine p. 38. ex *herbario Franciſci a MTGIND* deſcripſerit *Helicterem*, cognominatam *barbadenſem*, quæ cum noſtra fere in totum convenire videtur, ſi exceperis folia in utraque pagina tomentoſa, qualia ſuprema forſan & iuniora ſunt; ſed dum fructus deſcriptio adhuc deficiat, incertum adhuc eſt, verene ſit a *Jamaicenſi* diſtincta, an eadem ac illa. Rurſus de *Pipere*, quod tab. 96. depictum dedimus cognomento *obtuſifolii*, referre placet me addubitare, an memoratum ſit; licet aliam non noverim *Piperis* ſpeciem, quæ noſtram depictam magis referat, & eius imago ab *EHRETO* ad naturam facta, cuius ad ſimilitudinem noſtra eſt expreſſa, ſit ab Hoc, nomine *PLVMIERII*, dictum indicante, *TREWIO* miſſa. Sciendum vero eſt, me idcirco addubitare, quod nec a *PLVMIERO* nec a *LINNÆO caulis maculati* & *foliorum ſubnervoſorum* fiat mentio; quod in aliis ab iisdem ſedulo fuiſſe factum animadvertimus. Sed, dum hæc ſcribo, incido in *Hiſtoriam SLOANI Jamaicenſem*, quam in id evolvi, ut perveſtigarem, an ipſi *Piperis* ſpecies non ſit noſtræ analoga, cum fruſtra alios idcirco perquiſiverim: & en, quod feliciſſime cecidit, mihi primo obtutu occurrit Ipſius *Piper longum humilius*, *fructu e ſummitate caulis prodeunte*, cuius deſcriptionem cum noſtra dum comparo examuſſim reſpondere, quin & nervos, ut ſunt, & certe in pedunculo ruborem indicari, intelligo. Juxta eamdem enim *caulis* pedalis, rotundus, geniculatus, viridis (ſed non maculatus). *Folia* alterna, obovata, ipſi ſeſſilia, (melius ſubpetiolata,) decepto foliorum ſubſtantia ad petiolos ſe extendente, glabra, atro-viridia, ſucculenta, nonnunquam emarginata, ſubnervoſa ut Plantagini aquaticæ, quatuor pollices anglicos (nimirum cum brevi petiolo) longa, duos lata. *Spicæ* terminales, (ſed non ſemper,) quatuor pollices longæ, graciles, *Piperi longo* ſimiles, pedunculis rubris (unde & caulis ſic coloratus aut potius tali colore variegatus ſubinde eſſe poteſt) inſiſtentes: his odor ſuaveolens & ſapor acer. Ex quo nunc colligere eſt hoc eſſe dictum *LINNÆI* & *PLVMIERII*: & rurſus idem quod noſtrum depictum. De eo vero, ſi forte acciderit, quod unam vel alteram plantam non ſatis extricaverim, quin & nomine novo dignam, aut noviori mihi non ſatis cognito iam publicatam, alio adhuc indicaverim, neminem æquum iniquius iudicaturum ſpero; propterea quod in ſimilibus vivis plantis Viris artis peritiſſimis id quotidie uſu venire ſoleat, & difficillimum ſit ex icone tantum plantam determinare, nec liceat ex una vel altera nota in icone obvia, in deſcriptione vero plantæ hactenus deſiderata, & cuius exemplar vivum ob oculos non eſt, in aliam, præſertim in novam, concludere: ſiquidem in imagine vel bona ſæpe lucidius quædam exprimantur, in ipſa planta obſcurius conſpicienda; ad hoc & planta ipſa pro ætate & anni temporibus faciem valde mutare, eamdemque culta & pro diverſo ſolo, cui innaſcitur, plane aliam induere poſſit. Nec harum icones, modo ſint bonæ, inutiles putandæ, potius aliis digniores, quæ publicentur, dum poſſint plantam hactenus neglectam vel dete-

detegere, præcipue iis, qui plantam, pro qua habetur, poſſident ut componere poſſint, vel aliorum attentionem magis excitare, ut data occaſione ulterius in eam inquirant eamque extricent. Et optandum ſane eſſet, ut *LINNÆVS Catalogum plantarum*, quas ob ignoratas notas ſuo *ſpecierum Indici* inſerere nondum potuit, velit titulo ſibi *dubiarum* proponere, quo alii ipſis magis invigilent & ſuam in ipſis extricandis collocent operam, vel ſibi ipſis non fidentes aut ipſi communicare, aut easdem depingere, exſtimulentur. Nam horum perplures adhuc in europæis hortis cultas, (ut taceam feras,) vel nomine alieno, vel plane neglectas, latere, non eſt quod probem, cum id ex *LINNÆI Mantiſſis* & aliorum *Botanicorum recentiorum Scriptis* ſufficienter pateat, & unusquisque, qui in plantas ſibi commiſſas inquirere velit, id propriis obſervatis confirmare poſſit, quorum aliqua in Catalogo horti noſtri Academici ſiſtere mihi eſt animus.

INDEX.

Abutilon vid. Malache.

Acacia (*Mimoſa glauca Linn.*) Tab. XXXVI, pag. 9.

Acer (*rubrum L.*) LXXXV, *ſpecioſum* LXXXVI, 47. (*Platanoides* L.) XCI, 50.

Ananas (*Bromelia Ananas L.* α) II, (β) III, 1.

Annona (*triloba L.*) V, 1. (*africana L.*) XLIX, 16.

Araliaſtrum (*Panax quinquefolium L.*) VI, f. 1, (*trifolium* L.) f. 2, p. 1.

Arctotis (*acaulis L.*) XCIII, 53.

Arum (*maculatum L.* H. *Cliff.* ζ) LVI, 26.

Azalea (*nudiflora L.*) XLVIII, 16.

Blattaria vid. Verbascum.

Bocconia (*fruteſcens L.*) IV, 1.

Bromelia (*Pinguin L.*) LI, 21.

Byttneria (*ſcabra L.?*) LXXX, 42.

Ceanothus (*americanus L.*) XCIV, 53.

Cedrus (*Pinus Cedrus L.*) I, LX & LXI, 1 & 28.

Cereus (*Cactus repandus L.*) XIV, 3. (*flagelliformis L.*) XXX, 6. (*grandiflorus L.*) XXXI & XXXII, 7.

Chelone (*glabra L.*) LXXXVIII, 49.

Corallodendron (*Erythrina americana Mill.* β) VIII, 2. (*Erythrina herbacea L.*) LVIII, 27.

Crotalaria (*juncea L.*) XLVII, 15. (olim *Crotalaria alba* nunc *Sophora alba L.*) LXXIX, 42.

Cuiavus vid. Guaiaba.

Ehretia (*tinifolia L.*) XXV, 4.

Elliſia (*Nyctelea L.*) XCIX, 56.

Ficus (*benghalenſis L.*) L, 19. (*Carica L.*) LXXIII & LXXIV, 37.

Galega (*cinerea L.?*) XCVII, 55.

Guajaba (*Pſidium pyriferum L.*) XLIII, 12.

Guanabanus vid. Annona africana.

Hæmanthus (*puniceus L.*) XLIV, 14.

Helicteres (*Iſora L.*) XCII, 52.

Heliocarpus (*americana L.?*) XLV, 14.

Hura (*crepitans L.*) XXXIV & XXXV, fig. 1, p. 8.

Indigofera (*tinctoria L.*) LIII, an & LIV? (*diſperma L.*) LV, 24.

Iris (*ochroleuca L.*) C, 56.

Itea (*virginica L.*) XCVIII, 55.

Ixia (*chinenſis L.*) LII, 23.

Lamium (*garganicum L.*) LXXV, 40.

Laurus (*Saſſafras L.*) LXIX & LXX, 34.

Ledum (*Kalmia latifolia L.*) XXXVIII, fig. 1, (*anguſtifolia L.*) f. 2, p. 10.

Lilio-Gladiolus (*Gladiolus triſtis L.*) XXXIX, 10.

Lilio-Narciſſus (*Crinum Zeylanicum L.*) XIII, 3.

Lilium (*ſuperbum L.*) XI, 2.

Liriodendrum (*Tulipifera L.*) X, 2.

Lycium (*afrum L.*) XXIV, f. 1 & 2, p. 4. (*barbarum L.*) LXVIII, 33.

Magnolia (*glauca L.*) IX, 2. (*grandiflora L.*) XXXIII & XXXV, f. 2, p. 8 & 9. (*tripetala L.*) LXII & LXIII, 30.

Malache ſcabra, XC, 50.

Meadia (*Dodecatheon Meadia L.*) XII, 2.

Melanthium (*virginicum L.*) LXXXI, 43.

Meriana (*Antholyza Meriana L.*) XL, 11.

Mespilus (*Cratægus tomentoſa L.*) XVII, 3.

Mimoſa (*ſenſitiva L.*) XCV, 54.

Monarda (*didyma L.*) LXIV, 31.

Muſa, (*paradiſiaca L.*) XVIII-XX, 3. (*ſapientum L.*) XXI-XXXIII, 4.

Palmifolia (*Zamia pumila L.*) XXVI, 5.

Pancratium (*illyricum L.*) XXVII, (*amboinenſe L.* β) XXVIII, 6.

Papaya (*Carica Papaya L.*) VII, 2.

Pavia (*Æſculus Pavia L.*) XV, 3.

Periploca Cynanchum (*Cynanchum acutum L.*) LXXXII, 44.

Petiveria (*alliacea L.*) LXVII, 33.

Phyllanthus (*grandifolia L.*) LXXXIV, 46.

Piper (*obtuſifolium L.*) XCVI, 54.

Plumeria (*rubra L.*) XLI, 11.

Podophyllum (*peltatum L.*) XXIX, 6.

Pontederia (*cordata L.*) LXXXIII, 45.

Populus (*balſamifera L.*) XLVI, 15.

Pulmonaria (*virginica L.*) XLII, 11.

Punica (*Granatum L.*) LXXI, f. 1 & 2, & LXXII, (*nana L.*) LXXI, f. 3, p. 36.

Rhododendron (*maximum L.*) LXVI, 32.

Sida abutiloides, LXXXIX, 49.

Sophora (*occidentalis L.*) LIX, 27. (*tinctoria L.*) LXV, 32.

Tacamahaca vid. Populus.

Theobroma (*Guazuma L.*) LXXVI, 40.

Veratrum (*Helonias bullata L.*) LXXVII, 41.

Verbascum ---- XVI, 3. (*Myconi*) LVII, 26.

Viburnum (*dentatum L.?*) LXXXVII, 49.

Urtica nudula LXXVIII, 41.

Yucca (*filamentoſa L.*) XXXVII, 9.

FINIS.

D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV,
S. R. I. NOBILIS,
CONSILIARIVS, ARCHIATER, ET COMES PALATINVS CAESAREVS SERENISS. MARGRAVII ONOLDINO-CVLMBACO-BRANDENBVRGICI CONSILIARIVS INTIMVS, ARCHIATER ACTVALIS, ET COLLEGII MEDICI ONOLDINI SENIOR, PERILL. REIP. NORIMBERGENSIS PHYSICVS ORDINARIVS SENIOR, COLLEGIIQVE MEDICI SENIORVM PRIMARIVS, ACADEMIAE CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM DIRECTOR, REGIARVM SOCIETATVM LONDINENSIS, ET BEROLINENSIS, ITEMQVE BOTANICAE FLORENTINAE SODALIS.
Nat. d. 26. Apr. A. O. R CIↃ IↃ CLXXXXV.
Denat. d. 18. Iul. CIↃ IↃCCLXVIIII.

Ioh. Iacob Haid sculps. et excud. A.V.

IOANNES IACOBVS HAIDIVS
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS
DICASTERII IN S. R. I. L. CIVIT. AVG. VINDEL. ASSESSOR
VIR INCOMPARABILI VTRIVSQVE ARTIS IN EFFINGENDIS EFFIGIEBVS
PRINCIPVM SVMMORVMQVE IN VTRAQVE REPVB. VIRORVM
FELICITATE NOMINIS IMMORTALITATEM CONSECVTVS
NAT. D. X. CAL. FEBR. AN. CIↃIↃCCIV. IN EISLINGA MIN. AGRI WIRTEMB.
DENATVS AVGVSTAE D. IX. CAL. DEC. AN. CIↃIↃCCLXVII.
PARENTIS OPTIMI MEMORIAE
PIETATIS TESTIMONIO AERE EXPRESSIT FILIVS
I. ELIAS HAIDIVS.

PLANTAE
SELECTAE

QVARVM IMAGINES

AD EXEMPLARIA NATVRALIA

LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA

MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT

GEORGIVS DIONYSIVS EHRET
GERMANVS

OCCASIONE HAVD VVLGARI COLLEGIT

NOMINIBVS PROPRIIS NOTISQVE SVBINDE ILLVSTRAVIT

ET PVBLICO VSVI DICAVIT

D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV
MEDICVS NORIMBERGENSIS

IN AES INCIDIT

ET VIVIS COLORIBVS REPRÆSENTAVIT

IOANNES IACOBVS HAID
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA I

A.R.S. MDCCL.

CEDRVS foliis rigidis acuminatis non deciduis, conis subrotundis erectis.

ANANAS aculeatus, fructu ovato, carne albida Plumerii, Tournef. Inst. p. 650.
Plum. Cat. Spec. p. 20.

ANANAS folio trix serrato. Boerh. Ind. alt. P. II. p. 83. Rand. Hort. Cneff. p. 40. Mill. Gard. dict.

BOCCONIA *racemosa sphondylii folio tomentoso* Plum. N. G. p. 35. tab. 25.

ANONA fructu lutescente, lævi, scrotum arietis referente Catesb. T. II. tab 85.

a. Flos cum calyce nondum apertus, b. flos pentapetalus expansus a facie anteriori, c. idem a facie posteriori cum calyce, d. pistillum cum ovario, e. fructus immaturus, f. idem maturus ex Catesby opere mutuatus, g. radix recens effossa, h. flos alterius speciei in magnitudine aucta, i. bina semina unius baccae matura, x. unum a latere cum altero contiguo.

1. *ARALIASTRVM foliis ternis quinquepartitis, Ginseng et Ninzin officinarum.*
2. *ARALIASTRVM foliis ternis tripartitis et quadripartitis.*

a. Flos hermaphroditus, b. flos femininus, c. fructus rudimentum discissum, d. calyx exiguus, e. semen pellicula sua candida adhuc inclusum.

PAPAYA

fructu oblongo Melonis effigie

Tournef. Instit. p. 659. Plum. Cat. Specier. p. 20.

CORALLODENDRON triphyllum Americanum non Spinosum, foliis magis acuminatis, flore pallide rubente. Houstoun Cat. MSS.t Mill. Gard. dict.

MAGNOLIA Lauri folio subtus albicante, Cateſb. T. I. p. 39. Dill. H. Elth. p. 207. Mill. Gard. dict.

LIRIODENDRVM foliis angulatis truncatis.

PLANTAE
SELECTAE
QVARVM IMAGINES
AD EXEMPLARIA NATVRALIA
LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA
MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT
GEORGIVS DIONYSIVS EHRET
GERMANVS
OCCASIONE HAVD VVLGARI COLLEGIT
NOMINIBVS PROPRIIS NOTISQVE SVBINDE ILLVSTRAVIT
ET PVBLICO VSVI DICAVIT
D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV
MEDICVS NORIMBERGENSIS
IN AES INCIDIT
ET VIVIS COLORIBVS REPRÆSENTAVIT
IOANNES IACOBVS HAID
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA II
A.R.S. MDCCLI

LILIVM *foliis sparsis, multiflorum, floribus reflexis,*
fundo aureo, limbo aurantio, punctis nigricantibus,
pedunculis singulis unico folio instructis.

MEADIA *foliis oblongis serratis, floribus reflexis purpureis.*

a. flos integer, b. unum segmentorum, c. tubus, d. locus cui corolla segmenta adhærent, e. stamina conniventia, f. eadem diducta, g. filamentum, h. anthera, i. ovarium, k. stylus, l. staminibus longior, m. persistens, n. calyx persistens, o. capsula, p. transverse, q. verticaliter dissecta, r. placenta cum seminibus adhærentibus, s. semina

LILIO-NARCISSVS Africanus scillæ foli- is, flore niveo linea pur-purea striato Mill.

a b

a. Semen maturum, b. in magnitudine aucta.

CEREVS altissimus gracilior, fructu extus luteo intus niveo, seminibus nigris pleno Sloā. Cat. Jam. p. 197. Itinerar. T. II. p. 158. Raii Hist. T. III. dendrol. p. 22. Mill. Gard. dict.

PAVIA *Boerh. Ind. alt. P. II. p. 200.*

BLATTARIA flore ferrugineo. H. R. Paris. p. 31.

MESPILVS Caroliniana, apii folio vulgari similis, maior, fructu luteo. Miller.

MVSA caudice viridi, fructu . . . . . *longiore falcato anguloso*

Sloan. Cat. plant. Jamaic. p. 189. Itinerar. T. II. p. 141.

MVSÆ fructu longiori spadicis fructiferi verticillus primus et ex parte secundus tertiusque in naturali magnitudine.





MVSÆ fructu longiori flores et fructus in naturali magnitudine.

a. flos foecundus (z. petalum exterius ab ovario separatum ut stamina ad receptaculum usque appareant, z. petalum interius seu nectarium) b. flos sterilis a facie exteriori, c. idem a facie interiori seu spadicem versus, d. flos sterilis monstrosus, e. idem explicatus geminatis petalis et nectariis, f. fructus ex verticillis florum sterilium decerptus ad perfectionem non perveniens, g. fructus perfecti et maturi transverse dissecti pars inferior, h. pars superior, i. dimidium fructus per longitudinem dissecti, k. Stylus persistens.

PLANTAE
SELECTAE

QVARVM IMAGINES

AD EXEMPLARIA NATVRALIA

LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA

MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT

GEORGIVS DIONYSIVS EHRET
GERMANVS

OCCASIONE HAVD VVLGARI COLLEGIT

NOMINIBVS PROPRIIS NOTISQVE SVBINDE ILLVSTRAVIT

ET PVBLICO VSVI DICAVIT

D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV
MEDICVS NORIMBERGENSIS

IN AES INCIDIT

ET VIVIS COLORIBVS REPRÆSENTAVIT

IOANNES IACOBVS HAID
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA III

A.R.S. MDCCLII.

MUSA caulice maculato, fructu recto rotundo breviore decorato Sloan. Cat. Jam. p. 192. Itinerar. Vol. II. p. 147.

MVSÆ fructu breviore spadix floriger in magnitudine naturali.

a.a. pedunculus folii, b. spadix, c.c. involucrum spathas unacum floribus coercens disruptum, d.d.d. spathæ revolutæ a facie interiori, e.e. spathæ flores involventes a facie exteriori, f.f.f. florum verticilli.

MVSÆ fructu breviori Spadicis fructiferi verticilli tres priores in magnitudine naturali, cum fructib⁹ nōnullis ex maturitate dehiscentibus.

Fig. 1

Fig. 2

Fig. 1. LYCIVM foliis linearibus, flore fructuque minori.

a. flos integer, b. corollæ particula cum adhærente stamine, c. quinque stamina separata, d. ovarium cum stylo, e. calyx, f. fructus maturus integer, g. a facie superiori, h. in magnitudine aucta, i. transverse dissectus, k. semen in magnitudine aucta.

Fig. 2. LYCIVM foliis linearibus, flore fructuque majori.

a. corollæ dissectæ et explanatæ interiora cum quinque staminibus, b. stamen separatum, c. ovarium cum stylo, d. fructus, e. idem transverse dissectus, f. idem maturus et exsiccatus, g. placenta cui semina adhærent, h. semen maturum, i. idem in magnitudine aucta

EHRETIA *foliis alternis oblongis acuminatis, spica florum sparsa, petalis reflexis albis.*

a. flos adhuc clausus, b. explicatus a facie superiori, c. a tergo, d. explanatus, e. stamina cum pistillo, f. calyx, g. fructus, h. transverse dissectus, i. semen

PALMIFOLIA *fructu clavato polyspyreno.*

a. clava seu spica feminae per axis longitudinem dissecta, b. flos femineus separatus cum semine utrimque adhaerente, c. clava seu spica maris pari modo divisa, d. flos masculinus cum squamis utrimque pluribus adhaerentibus in magnitudine naturali, e. aucta, f. squama separata.

PANCRATIVM foliis ensiformibus, spatha multiflora, floribus magnis candidis fragrantibus.

PANCRATIUM *foliis amplis ovatis acuminatis petio-*
tis, spatha multiflora, floribus minoribus candidis fragrantibus.

PODOPHYLLUM *lobis foliorum truncatis et laciniatis, flore expanso polypetalo.*

a. flos integer a facie posteriori, b. fructus integer, c. idem transverse d. secundum longitudinem dissectus cum placenta, cui adhærent seminum rudimenta, e. semen maturum a facie laterali, f. exteriori, g. interiori.

CEREUS minimus scandens polygonus spinosissimus, flore purpureo. Hort. Elthet. Tab II fig 3

a. flos integer, b. idem per longitudinem dissectus, c.c. ovarium, d.d. calycis segmenta prima pilosa, e. stylus, f. ejus capitulum in magnitudine aucta, g. idem alius conformationis, h. in magnitudine aucta, i.i. stamina, x. staminis apex in magnitudine aucta, l. caulis crassitudo, m. novus caulis propullulans, n. fructus immaturus, o. idem maturus, p. transverse dissectus, q. semen, r. idem in magnitudine aucta.

PLANTAE
SELECTAE

QVARVM IMAGINES

AD EXEMPLARIA NATVRALIA

LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA

MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT

GEORGIVS DIONYSIVS EHRET

GERMANVS

OCCASIONE HAVD VVLGARI COLLEGIT

NOMINIBVS PROPRIIS NOTISQVE SVBINDE ILLVSTRAVIT

ET PVBLICO VSVI DICAVIT

D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV

MEDICVS NORIMBERGENSIS

IN AES INCIDIT

ET VIVIS COLORIBVS REPRÆSENTAVIT

IOANNES IACOBVS HAID

PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA IV

A.R.S. MDCCLIV.

CEREVS *gracilis scandens ramosus plerumqꝫ sexangularis, flore ingenti atqꝫ fragranti, calyce aureo corolla argentea, fructu e carneo lutescente.*

Fig. 1.

Fig. 4

Fig. 3

Fig. 6.

Fig. 8

Fig. 5.

Fig. 10.

Fig. 11.

Fig. 7

Fig. 9.

Fig 2.

Fig. 1. flos penitus expansus a facie anteriori, Fig. 2. idem jam marcescens dissectus, a. ovarium, b.b. receptaculum, c.c. ovarii tubercula, d. ejus cavum, e.e.e.e. tubi foliola, f.f. calycis segmenta abscisa, g.g. corollæ petala, h.h.i.i. stamina, k stylus, l. ejus fimbriæ, Fig. 3. eadem expansæ, Fig. 4. fructus maturus integer, Fig. 5. idem dissectus, Fig. 6.7. semina matura, Fig. 8.9. semen jam germinans, Fig. 10.11. germinis plantula, singula in magnitudine naturali et aucta.

CEREI'S *gracilis scandentis &c. flos et fructus maturus.*

MAGNOLIA *macrophylla flore, foliis subtus ferrugineis* Pamp. Hort. Ched. p. 132.

HURA Linn. Hort. Cliff. p. 486. tab. 34.

Fig. 1.

Fig. 1. HVRÆ Tab. XXXIV floris fructusque partes.

a. floris masculini iulus, b. idem adultior, c. idem cum staminum corpusculis, d. idem longitudinaliter dissectus, e. squama separata cum adhærente corpusculo in magnit. naturali, f. aucta, cum tribus antherarum ordinibus, g. squama interius concava, h. exterius visa cum situ antherarum in magnit. aucta, i. naturali, k. eadem interius visa, l. flos femininus integer a facie superiori, m. laterali, n. longitudinaliter dissectus, o. pedunculus & calyx, p. ovarium, q. pedunculus et calyx longitudinaliter dissectus, receptaculum ovarii, r. ovarium transverse, s. longitudinaliter dissectum, t. fructus maturus, u. capsula, 1. una valva a facie interna, 2. altera valva a facie externa, 3. superficies plana, 4. margo elevatus, 5. pars convexa involucro adhuc tecta, 6. foramen, x. eadem valva a facie externa separata, 7. pars convexa nuda, 8. involucrum detractum, 9. incisura, y. eadem valva a facie interna, 10. incisura, 11. margo planus, 12. nucleus in situ, z. utraq3 valva transverse dissecta, 13. crassitudo partis convexæ, 14. margo elevatus, 15. latera contingentia, 16. foramen supremum, α. fibræ involuери ad cōmissuras valvarum, β. filerum capsularum, 1. ejus corona superior, 2. axis, 3. corona inferior, 4. pedunculus, V. nucleus separatus, 5. ejus margo, δ. nucleus transverse dissectus.

Fig. 2.

Fig. 2. MAGNOLIÆ Tab. XXXIII floris fructusque partes.

1. alabastri gemma, 2. involucrum cōmune, 3. alabastri adultioris spatha, 4. alabastrus expansioni proximus cum spatha fissa, 5. spatha separata a facie interna, 6. alabastrus denudatus, 7. ovarium cum stylis singulorum loculorum, d. receptaculum staminum, 8. stamen a facie interna, 9. externa, 10. strobilus cum aliquot bacis maturis, 11. loculus separatus cum bacca ex fibra pendente, 12. loculus baccam continens, c. an stylus persistens, f. ejus insertio, g. cavitatis pellicula, 13. bacca semen ab utraq3 facie.

ACACIA *non Spinosa, flore albo, foliorum pinnis latiuscullis glabris, siliquis longis planis*

Houst. Cat. Mst. Hort. Chelf. Mill dict.

YUCCA foliis lanceolatis acuminatis integerrimis margine filamentosis. Gronov. Flor. Virg. P. II. p. 152.

Fig. 1. **LEDUM** *floribus bullatis confertim in summis caulibus nascentibus, foliis ex oblongo lanceolatis integerrimis glabris.*

a. Flos e regione posteriore. b. Calyx. c. Stamina decem duplicis ordinis, d. stylus cum stigmate obtuso, e. idem cum ovario, f. idem et calyx persistens cum ovario. g. Calyx cum pericarpium ex quinque capsulis compositum a facie superiore, h. inferiore, i. laterali cum calyce, x. transverse sectum, l. capsula separata a facie interiore, cui inhaerent seminibus referta. m. Receptaculum. n. involucrum seminum proprium a facie interiore, o. laterali et exteriore, p. unum ex seminibus perexiguis, q. r. s. eadem aucta et magnitudine aucta.

Fig. 2. **LEDUM** *floribus bullatis fasciculatim ex axis foliorum oppositis nascentibus, foliis lanceolatis integerrimis glabris.*

LILIO-GLADIOLVS *bifolius et biflorus, foliis quadrangulis.*

a. Corolla dissecta et explanata a facie interna, b. ejus segmentum supremum maximum, c. c. duo lateralia, d. d. d. tria inferiora, e. tria stamina, f. stylus simplex, g. stigmata tria foliacea, h. h. Spatha herbacea duplex, i. pericarpium obscure hexagonum, x idem maturum in tres valvas solutum, l. semen planum et alatum, m. folii quatuor anguli, n. bulbus valde prolifer.

MERIANA flore rubello.

a. Corolla dissecta ab interna facie, b. b. ejus sex segmenta, c. c. c. tria stamina, d. ovarium, e. stylus, f. ejus extremum trifidum, g. stigma singularum divisionum bifidum et reflexum, h. spatha anduplex, i. x. l. m. n. eadem partes in magnitudine aucta, o. ovarium transverse sectum cum tribus loculis, p. bulbus, q. recens bulbus ex caule propullulans.

PLANTAE
SELECTAE

QVARVM IMAGINES

AD EXEMPLARIA NATVRALIA

LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA

MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT

GEORGIVS DIONYSIVS EHRET

GERMANVS

OCCASIONE HAVD VVLGARI COLLEGIT

NOMINIBVS PROPRIIS NOTISQVE SVBINDE ILLVSTRAVIT

ET PVBLICO VSVI DICAVIT

D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV

MEDICVS NORIMBERGENSIS

IN AES INCIDIT

ET VIVIS COLORIBVS REPRÆSENTAVIT

IOANNES IACOBVS HAID

PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA V

A.R.S. MDCCLV.

PLUMERIA *flore roſeo odoratiſſimo* Tournef. inſt. pag. 630.

a. flos adhuc clauſus, b. explicatus, c.c calyx, d. ſiliqua matura externo in latere dehiſcens, e.e. axis ſeu receptaculum ſeminis f.f.f.f. ſemina, g.g.g.g. eorunde' ala

PVLMONARIA foliis ovatis glabris, scapo laxo, calycibus brevissimis profunde quinquefidis, corolla limbo campaniformi quinquepartito.

a. corollae tubus a facie laterali, b. idem cum limbo quinquepartito, c.c. calyx, d. corolla dissecta ab interna facie cum quinque staminibus adcretis, e.e. stylus filiformis cum stigmate globoso, f. calyx quinquedentatus g. quatuor ovula, h.i. eadem in magnitudine aucta, k. stylus l. calyx persistens cum quatuor seminibus, m. semina denudata, n. unum in nexu cum stylo

Fig. 1.

a

b

Fig. 2.

GVAIABA *foliorum ramis quadrangulis, fructu oblongo, carne rubente.*

Fig. 1. ramus cum flore a facie anteriori, a. flos a tergo.
Fig. 2. ramus adultior cum fructu, b. fructus transverse sectus, c. semina.

HÆMANTHVS *Colchici foliis, periantheo herbaceo* Dill. H. Elth. p. 167. t. 140.

a. flos integer, b. ovarium infra florem, c. corolla dissecta et explanata a facie interna cum sex staminibus tubo adnatis, d. ovarium denudatum, e. stylus cum stigmate obtuso, f. bacca integra, g. transverse secta, h. semen, i. – p. idem jam vegetans.

HELIOCARPUS *Linn. H. Cliff. p. 211. t. XVI.*

a. flos a facie antica, b. postica, c. racemus cum capsulis maturis, d. capsula integra cum radiis suis, e. aperta bilocularis, f. semina, g. h. i. partes eædem in magnitudine aucta.

TACAMAHACA *foliis crenatis, Sadelhout P. B. P. 379. Pluck. Phytogr. t. 281. f. 2. Almag. 360. Mill. Gard. dict. app.*

a. Julus seu amentum maris, b. squama, c. eadem a facie interna in magnitudine aucta.

CROTALARIA *foliis solitariis lanceolatis lanuginosis petiolis sessilibus, caule ramoso striato, flore magno aureo.*

a. vexillum, b.b. duæ alæ, c. carina, d. stamina et pistillum in nexu naturali, e. stamina decem explanata, f. pistillum seu ovarium et stylus recurvus cum stigmate laterali, g. calyx, h. fructus maturus cum calyce persistente.

AZALEA *scapo nudo, floribus confertis terminatricibus, staminibus declinatis* Linn. H. Cliff. p. 69.

a. flos integer, b. calyx brevissimus, c. stamina declinata, d. stylus cum stigmate globoso, e. corolla dissecta et explanata a facie interna, f. ovarium cui stylus insidet et stamina adstant, g. scapus cum fructu maturo, h. h. gemmæ foliorum florumque, i. fructus quinquelocularis, k. idem maturus dehiscens, l. calyx persistens, m loculi tegumentum secedens, n. idem separatum, o. transverse dissectum, p. fructus transverse sectus, q. q. q. styli pars persistens, r. r. axis cum stylo continuus, s. s. semen in naturali, t. u. in aucta magnitudine.

GUANABANUS *Perseæ folio, flore intus albo, exterius virescente, fructu nigricante squamato, vulgo Cherimolia Feuillée Vol.* **II.** *p.* 24. *t.* **XVII.**

a. calyx exiguus triphyllus, b. flos ab anteriori facie cum staminum brevissimorum fasciculo et pistilli stigmate triquetro, c. petalum transverse sectum, ubi apparet eius unguis excavatus et compages crassa triquetra, d. fructus, e. idem a facie laterali alia, f a facie postica, g. idem transverse sectus, h. semen, i. ejusdem nucleus denudatus, k. folium ab utraque facie ex Feuillee

FICUS *foliis ovatis integerrimis obtusis, caule inferne radicato* Linn. H. Cliff. 471.

a.a. fructus a facie laterali, b. anteriori, c.c. umbilicus, d. facies ima cum eminentia, e.e.e. petioli vices gerente et tribus foliolis cincta, f. compages interna, g. semen cum petiolo suo.

PLANTAE
SELECTAE

QVARVM IMAGINES

AD EXEMPLARIA NATVRALIA

LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA

MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT

GEORGIVS DIONYSIVS EHRET

GERMANVS

OCCASIONE HAVD VVLGARI COLLEGIT

NOMINIBVS PROPRIIS NOTISQVE SVBINDE ILLVSTRAVIT

ET PVBLICO VSVI DICAVIT

D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREW

MEDICVS NORIMBERGENSIS

IN AES INCIDIT

ET VIVIS COLORIBVS REPRÆSENTAVIT

IOANNES IACOBVS HAID

PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * * * * * *

DECVRIA VI.

A.R.S. MDCCLX.

BROMELIA *foliis aculeatis, caule racemo laxo terminatrici* Linn. H. Cliff. p. 129.

a. flos integer cum foliolo b. ovarium c. involvente, d. calyx trifolius, e. corolla tripetala, f. Stamina a corolla et g. a calyce separata, h. calyx separatus, i. petalum, k. stamen, l. Stylus cum stigmate trigono, m. Stigma transverse sectum, n. fructus maturus siccus, o. idem ex maceratione tumidior, p. eius transverse secti amplitudo cum seminum triplici ordine, q. semina matura, r. in magnitudine aucta

IXIA foliis ensiformibus, floribus remotis Linn. H. Upf. 16. Spec. 36. n. 2.

a. spathae; b. flos a facie interiori s. superiori; c. tria petala interiora; d. flos a facie exteriori s. inferiori; e. tria petala exteriora; f. ovarium, g. transverse dissectum; h. vestigia petalorum; i. tria stamina; k. stamen separatum a facie interiori, l. exteriori, m. n eadem in magnitudine aucta; o. antherа transverse secta; p. q. stylus, r. ejus stigmata tria, s. eadem in magnitudine aucta, t. stigmata a facie superiori recta; u. pericarpium cum seminibus, x. idem transverse sectum, y. idem maturum, z. axis seminum, *. semen separatum.

INDIGOFERA *scapo recto, foliorum pinnis oblongis ad apicem obſcure acutis incanis; florum ſpicis erectis, floribus confertis, leguminibus teretibus erectis glabris.*

a. flos in magnitudine naturali a facie anteriori, b. poſteriori, c. d. in magnitudine aucta; e. calyx; f. vexillu; g. alæ, h. carina, i. ſtamen ſolitarium; k. ſtaminum diadelphorum vagina; l. apex ſtyli; m. legumen rectum, n. pendulum incurvum; o. legumen, ablata valva altera, cum ſeminibus in ſitu ſuo; p. ſemen exemtum; q. valva ablata a facie interiori.

a. flos a facie anteriori; b. vexillum; c. alæ; d. carina; e. stamina diadelphia cum stamine solitario; f. germen cum stylo brevi et stigmate obtuso; g. legumen; h. idem oblata valva altera cum seminibus denudatis; i. valva oblata a facie interiori, k. semina exempta.

INDIGOFERA *Scapo recto, foliorum pinnis ovatis ad apicem obtusis læte virentibus, florum spicis erectis, floribus sparsis, leguminibus teretibus pendulis incurvis, subhirsutis.*

INDIGOFERA *scapo infirmo, foliorum pinnis oblongis pallide virentibus glabris, pedunculis spicæ longissimis, floribus laxe dispositis, leguminibus compressis brevibus gibbosis subasperis dispermis.*

a. flos a facie anteriori; b. vexillum; c. alæ; d. carina; e. stamina diadelphia et solitarium; g. legumen, h. idem altera valva ablata cum binis seminibus denudatis; i. valva ablata a facie interiori; K. semen.

ARVM venis albis italicum maximum H. Reg. Pariſ. p. 24.

a. ſpadix clavatus integer, b. longitudinaliter diſſectus, c.c. cirrhi ſeu filamenta primi ordinis, d.d. ſecundi ordinis, e.e. antheræ ſeſſiles, f.f. ovula.

VERBASCUM foliis lanatis radicalibus, scapo nudo Linn.

Spec. 179. n. 9.

a. calyx et corolla a facie posteriori, b. anteriori; c. corolla dissecta et explanata cum staminibus; d. stamen separatum a facie posteriori, e. laterali, f. in magnitudine aucta; g. calyx cum ovario et stylo; h. ovarium transverse dissectum; i. idem in magnitudine aucta; k. pericarpium duplex maturum a facie laterali cum calyce persistente; l. idem diductum a facie interiori, m. unum pericarpium a facie interna ubi dehiscit; n. a facie externa; o. idem transverse dissectum, p. in magnitudine aucta; q. r. semina in magnitudine naturali et aucta.

CORALLODENDRON *foliis ternatis, caule simplicissimo inermi, floribus clausis, leguminibus nodosis.*

a. Floris calyx, b. corolla clausa, c. eadem infimo in latere dehiscens, d. stamina ex hiatu prominentia, e. leguminis petiolus, f. legumen maturum, g. idem uno in latere dehiscens, h. semen exemtum, i. ejus hilum, k. semen transverse sectum, 1.1. floris alæ, 2.2. 3.3. carina, 4. stamina, 5. staminum vagina, 6. stylus, 7. germen.

SOPHORA *arboreſcens, foliis pinnatis, pinnis numeroſiſſimis ovatis villoſis, caule ſimplici, leguminum nodis valde diſtinctis.*

a. flos integer; b. calyx; c. vexillum; d. ambæ alæ; e. ambo carinæ ſegmenta; f. ſtamina et g. germen calyci b. adhuc incluſa; h. decem ſtamina et i. germen a calyce denudata, k. k. ſtamen longis brevibusq; ſeparatum; l. germen cum ſtylo brevi et ſtigmate obtuſo; m. legumen maturum; n. idem, valva altera ablata, cum ſeminibus denudatis; o. valva ablata a facie interna; p. ſemen.

CEDRVS *foliis rigidis acuminatis non deciduis, conis subrotundis erectis* Plant. sel. tab. 1.

a. juli gemma; b. julus cum calyce pronascens; c. idem per longitudinis medium dissectus, d. in magnitudine aucta; e. julus perfectus, f. ejus calyx persistens, g. calyx separatus a facie interiore, h. julus separatus et per longitudinis medium dissectus, i. ejus axis; k.k. stamina aliquot separata; l. stamen in magnitudine aucta cum filamento m per brevi, anthera n. magna et o. ejus extremitatis squama, p. anthera transverse dissecta, q. julus aridus, r. stamen a facie superiore, s. in magnitudine aucta, t. a facie laterali, u. inferiore, x. in magnitudine aucta, y. pars pollinis quem continet, 1 conus junior, 2 ejus calyx, 3 calyx separatus a facie externa, 4. interna, 5. ejusmodi conus per longitudinis medium dissectus, 6 ejus axis, 7 ejus pars inferior, 8 axis denudatus; 9. squamula separata a facie inferiore, 10. superiore, 11. conus paullo adultior, 12 coni maturi pars inferior, cujus squamis semina incumbunt, 13 ejus axis; 14. squamarum una separata cum binis seminibus; 15. bina unius squamæ semina separata, 16. 16. semen, 17. 17. eius ala.

PLANTAE
SELECTAE
QVARVM IMAGINES
AD EXEMPLARIA NATVRALIA
LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA
MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT
GEORGIVS DIONYSIVS EHRET
GERMANVS
OCCASIONE HAVD VVLGARI COLLEGIT
NOMINIBVS PROPRIIS NOTISQVE SVBINDE ILLVSTRAVIT
ET PVBLICO VSVI DICAVIT
D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV
MEDICVS NORIMBERGENSIS
IN AES INCIDIT
ET VIVIS COLORIBVS REPRÆSENTAVIT
IOANNES IACOBVS HAID
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

DECVRIA VII.

A.R.S. MDCCLXV.

CEDRVS *foliis rigidis acutis perennantibus, conis subrotundis ovatis.*

*a. foliorum fasciculus theca communi inclusus. b. folium a theca separatum. c. idem transversè dissectum. d. conus ex monte Libano vel medium longitudini. sursus a facie externa et interna. f.f. Semina. g.g. Coni pedunculus, h.i. talis conus in Anglia natus, pari modo divisus ut antecedentes. k. Semen. l. pedunculus. * Baculus verticì affigatus. m. n. o. p. q. squamæ cum seminibus coni in Anglia nati.*

MAGNOLIA foliis ovato oblongis ad basin et apicem angustis, utrinque virentibus.

a.a.a. tria petala exteriora, b.b.b. petala interiora, c. ovarium.

MAGNOLIA *foliis ovato oblongis ad baſin et apicem anguſtis, utrinque virentib9 .*

1.1.2. gemmæ involucrum, 3.3.3.3.3. duo puncta seu glan, dulæ, 4. gemmæ involucrum adhærens, 5. idem solutum et delapſum, 6. gemma nondum aperta, 7. alabaſtrus, 8. spatha, 9.9. ejs adhæſionis veſtigium, 10.10. puncta alba pedunculi, 11. alabaſtrus expanſioni proximus, 12.12.12. tria petala exteriora, a. ovarium, b.b.b.b. stamina, c.c.c.c. c.c. piſtilla, d. stamen a facie externa, e. interna, f.f. anthe, ræ, g. ovarium verticaliter diſſectum, h.h. piſtillorū axis, i.i. staminum veſtigia, k.k. duo piſtilla separata, l.l. eorum styl9 m.m. germina, n. germen transverſe. o. verticaliter diſſectum, p. seminum rudimenta, q.r.r.s.t.u.x. eadem partes in magnitu, dine aucta, y. flos, z. strobilus.

Hæc characteris explicatio conferenda eſt cum illa p. 31. col. a. et secundum hanc emendanda expoſitio p. 30. b.

I

II

MONARDA *floribus capitatis et verticillatis, caule acute angulato, foliis lanceolatis serratis glabris* Buttn. enumer. plant. Hort. Cun. 226.

a a. flos separatus, b b. ejus calyx, c c. corollæ tubus, d d lumbus ringens, e e. labium superius erectum, f f f f. duo stamina, g g. stylus, h h. ejus stigma bifurcatum, i i. labium inferius reflexum, k k. labium superius separatum a facie interiore, l l. labium inferius separatum trifidum a facie interiore, m m. ambo stamina a tubo separata cum antheris in magnitudine naturali, n n. aucta, o o. stamen cum antheris in magnitudine naturali, p au-cta, q q q q. cum antheris liantibus, r. calyx separatus cum stylo, s. idem calyx verticaliter dissectus cum quinque denticulis, t ovarium, v. stylus separatus, x. ovarium separatum, y. quatuor ovaria semina in magnitudine naturali, z. aucta, 1. transverse dissecta, 2. semen perfectum a facie exteriore, 3. interiore, 4. verticillus calycum persistentium, 5. ejusmodi calyx separatus.

SOPHORA *foliis ternatis sessilibus: foliolis subrotūdis glabris Linn. Spec. 373. n. 5.*

a. flos integer cū calyce, b. vexillum, c. c. alæ, d. d. carinæ partes, e. calyx cum germine et stamini-bus, f. stamen separatum, g. calyx cum germine aucto, h. h. calycis squamula triplex.

RHODODENDRVM *foliis nitidis ovalibus, margine acuto re„flexo Linn. Spec. 392. n. 3.*

a.a.a.a. perianthium, b.b. floris corolla, c.c.c.c.c. stamina, d.d. pistilli germen cum stylo, e.e. styli stigma, f. capsula cum stylo et peri = anthio a. persistentibus, g. capsula transverse secta, h. semina.

PETIVERIA *Linn. H. Cliff. 141.*

a. flos perianthio adhuc incluſus, b. explicatus in magnitudine naturali, c. aucta a facie interiore, d. exteriore et laterali, e. e. perianthii, um, f. f. f. f. f. f. f. f. petala perſiſtentia, g. g. g. ſtamina, h. petalum ſeparatum cum duobus ſtaminibus, i piſtillum, k. fructus immaturg. l. fructus a corolla ſeparatus, m. n. idem paullo maturior in magnitudine naturali, o. aucta cum involucri cornibus hamatis, p. ſemen denudatum, q. ejus nucleus.

LYCIVM foliis oblongo-lanceolatis sine ordine, ramorum spinis rarioribus.

a. a. corolla explicata, b. calyx bifidus, c. corolla a facie interna dissecta, d. d. corollæ tubus, e. e. corollæ segmenta, f. f. f. stamina, g. h. germen et stylus cum stigmate globoso, i. corolla a facie externa, k. stamen cum anthera didyma in magnitudine aucta, l. idem stamen cum anthera biloculari transverse secta, m germen, n. stylo et o. stigma in magnitudine aucta, p. germen maturius transverse q. longitudinaliter sectum, r. seminis rudimentum, singula in magnitudine aucta.

LAVRVS *foliis integris trilobisque* — *Linn. H. Cliff* 154 n. 1

a. folium integrum; b. bilobatum, c. trilobatum.

LAVRVS foliis integris trilo„ bisque Linn. H. Cliff. 154. n. 1.

a. a. a: a. folium integrum a facie superiore, b. b. inferiore, c. c. c. folium tri„fidum a facie superiore, d. d. inferiore, e. e. e. e. squamæ seu stipulæ gemmæ forigeræ, f. f. f. foliolum lineare, g. flos masculinus cum sex segmentis et no„vem staminibus, h. ejusmodi flos cum stylo i. sine germine, k. idem stylus a flo„re separatus, l. novem stamina a flore separata, m. m. duo stamina separata. n. n. n. o. glandulæ, p. glandula separata, q. alia cum brevi filamento proprio, r. flos feminintus a tergo, s. idem a facie anteriore cum quinque segmentis, t. cū sex segmentis, v. pistillum separatum, x. glandula separata cum brevi filamento pro„pria, y. fructus maturi recentes, z. siccati, 1. 1. bacca recens, 2. 2. ejus cupula 3. cupula siccata, 4. talis separata a facie laterali, 5. a facie interna cava, 6. bacca siccata separata, 7. ejus nux, 8. hujus putamen a facie interna cū nucleo. 9. a nucleo liberata, * nucleus separatus.

PLANTAE
SELECTAE
QVARVM IMAGINES
AD EXEMPLARIA NATVRALIA
LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA
MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT
GEORGIVS DIONYSIVS EHRET
GERMANVS
COLLEGIT
ET PVBLICO VSVI DICAVIT
D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV
MEDICVS NORIMBERGENSIS
POST IPSIVS MORTEM
NOMINIBVS ET NOTIS ILLVSTRAVIT
D. BENEDICTVS CHRISTIANVS VOGEL
PROFESSOR MEDICINAE ET BOTANICES
IN ACADEMIA ALTORFINA
IN AES INCIDIT
ET VIVIS COLORIBVS REPRAESENTAVIT
IOANNES IACOBVS HAID
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA VIII
A. R. S. MDCCLXXI.

I

II

III

I. **PVNICA** foliis lineari-lanceolatis; caule arboreſcente, flore majore. (Mill. Gard. Dict. n. 1.

II. **PVNICA** flore pleno majore. Tust. R. (Herb. 631.

III. **PVNICA** foliis linearibus, caule fru tescente, flore minore. (Mill. Gard. Dict. n. 2.

a a flos clauſus, b b. perianthium ſemiquinquefidum, c d. corolla, e. f calix paratum k. k. l. l. ſtamina calyci adnata, m. tale ſeparatum magnitu pendiculariter diſſectum, p ſeminum rudimenta, r r. operculum germinis, ♀ 10. (Punicæ majoris flores pleni integri 4. 11. idem tudine vertikaliter diſſectus, g g corollæ petala quatuor calici inſerta, h i. quantum ſe- dine naturali, n. antha, o. ovarium, s. germen calyce recondituum, q idem per e ſtylus cum ſtigmate capitato, t t ſcutra ſecundata de eadem magnitudine verticaliter diſſecti. ♀. (Punicæ nanæ flores in ſitu duo ſi et majori naturali.





PVNICÆ nº I. Tab. LXXI. *Poma seu Punica mala* .

u. u. Poma matureſcentia ramulo inſidentia, x. fructus maturus, integer. y. ſponte ruptus, z. ○. verticaliter diſſectus: ubi notantur, 1. calycis ſegmentum cum ſtaminibus aridis, 2. 2. ſtylus et ſtigma, 3. 3. operculum convexum, 4. 4. ſtyli per medium fructus continuatio, 5. membrana pellucida, loculamentum cum ſeminibus intergerina, 6. eadem remota, loculis et granis denudatis. ♁. Pomum horizontaliter diſſectum, 7. 7. loculi ſeminibus repleti, 8. ab iisdem evacuati, 8. granum involucro ſuo ambitum, 9. idem nudum.

FICVS foliis palmatis

Ficus sativa fructu majori violaceo oblongo: cute lacera Tourn. Linn. Amoen. Acad. Vol. I. p. 215.

I Ramulus cui insident α a.a ficus nondum maturae, grossulae s. grossuli dictae, et talis b matura, violacea, cuticula hinc inde lacera
1. Fructus immaturus longitudinaliter dissectus ubi 1 receptaculum fructificationis seu calyce communis, 2 foramen (vulgo umbilicus) squamis foliaceis ob-
turatum, 3 flores foeminei, qui intus super receptaculum undique exstant. a flos inde excemtus naturali, b aucta magnitudine c d. flores duo pari modo
aucti, explicatis perianthii laciniis, et una D reflexa, quo pistilla melius conspici possint α florum a.b.c.d. pedunculus, β perianthium quadrifidum, γ pistil-
lum; 2 florum c et d. germen, 2 stylus cum stigmate, 3 semen floris d. in germine 1 reconditum et translucens, f. germen medio circumcisum, relicta inferio-
ri medietate, ablata superiori, ut seminis vertex sub aspectum veniat, g idem magnitudine aucta, h semen plane denudatum et auctum. B. Ficus matura in duas partes vertica-
liter dissecta, intus calycibus pulposis α α semina continentibus farta, terminatusque in umbilicum ß ß, foliolis obturatum. i calyce separatus in sinu obliquo α recondens semen
maturum, ab antica parte, k idem a laterali facie, semine ablato. l l l semina cum receptaculis suis, uti conspiciuntur in fructibus passis, m. semina seorsum exhibita. C. D
Caricae s. ficus passae, flavae, E massilienses? n. Caricae C. vel D dimidiatae particulae, seminibus referta, 2 ejus semen naturali, 2 aucta magnitudine. o Caricae E longitudinaliter di-
midium, seminibus itidem pregnans. 3 semen naturali, 4. aucta magnitudine, 5. idem pari modo auctum ab aversa parte, 6 idem dissectum ab interiori facie, 58 idem plane decorticatum
tum et admodum auctum, α a. corculi parte, ß ab aversa facie. 59 idem in duas cotyledones separatum, quarum altera α corculo gaudet, altera ß foveola corculo respondente

Fructificatio Ficus caricæ Linn.

Character fructificationis a Hireo / de la Hire / junori ex. Actis Gallicis 1712. I. 15 mutuatus

Figuræ e Pontederæ Anthologia Tab. XI mutuatæ.

1. Grossa pusilla insistens pedunculo a, septusque ad basin calyculo seu involucro b, ex duplici serie squamarum semiovatarum composito. 2. grossa majuscula obliqua et inverse sita; 3 idem insistens pedunculo, umbilico a obliquo ad anteriora spectante; 4 talis parvula umbilico a adverso; 5. idem lente vitrea 6 obliqua et inverse sita; 7 foliolum tale singulare mirifice auctum, 8. pe- dunculus; 6. umbilicus ex foliolis quatuor extrinsecus constatus seorsum in magnitudine valde aucta exhibita; 7 foliolum tale singulare mirifice auctum, 8. pe- dunculus cum involucro duplici sursum spectans; 9 idem involucro prono; 10 idem magnitudine admodum aucta suspectansque, involucri duplici squamarum serie a a. bbb. una clare conspicua; 11. grossus absque involucro et pedunculo in magnitudine naturali; 12 idem transversim dissecta, a superior, b inferior medietas; 13 ejusdem ficuli superior pars lente vitrea visa, conspicuis in receptaculi substantia discissa fibrarum fasciculis a a a intusque foliolis viridantibus bb tota fere ejus superficiem internam obtegentibus, 14 foliolum separatum magnitudine aucta, 15 grossuli dissecti et per microscopium visi inferior pars integ floscu- lis foemineis undique referta. 16. 17. 18. 19. 20. flosculi uti sensim sensimque dehiscunt, magnitudine et naturali et aucta, 21. 23 perianthia duo sexpartita in magnitudine naturali, 22. 24 aucta; 25 foliola prope umbilicum exsecta in naturali magnitudine, 26 talia unicum ita ad auctum, ut spinæ margi- nales, costa media utriculique conspiciantur. 27. portiuncula placentæ, cui flosculi foeminei insistunt, 28 eadem lente vitrea sic aucta, ut squamæ lanceola- tæ bbb, et spinæ inermes ccc, floribus a a a interstratæ, una cum utriculis, qui in flore α, squama β, et receptaculo florum γ γ designantur, sub aspectum veniant. 29. 29 grossorum duorum adultiorum medietates ab interiori facie. 30 particula secundum longitudinem e ficus umbilicali regione ex- scissa, naturali, 31 aucta magnitudine; a superior pars foliolis, b inferior floribus foemineis fœta. 32 32 32 32. foliola umbilicalem regionem occupantia, et floscullis interserta in figura differunt; et oculo nudo et armato conspiciuntur 33 perianthium sexpartitum magnitudine valde adaucta ut sic ejus figuræ 34–38, quæ sequuntur, sint magnitudine adauctæ, 34 flos foemineus junior, 35 α β duo adultiores —, 36 pistillum seorsim exhibitum: a germen, b stylus in spiram contortus et quasi nodosus, c stigma bifercum, d semen in germine reconditum, e vasculum ad stigma et germen ducens 37 semen exsiccatum, ambitum in volucro mucilaginoso, 38 idem ex denudatum vasculo nutriente una leviter designato. 39. hac ficus quemadmodum oculo nudo, 40 armato conspicitur.

41. Ficus immaturus verticaliter dissectus, ab interiori facie: ubi regionem A occupant squamæ calycinæ, B flores masculi, C feminei. 42 flos masculus nondum expansus. 43 idem explicatus a pedunculus, b calyce trifidus, c c e stamina tria, d rudimentum contortum. 44 α β antheræ duæ a postica parte paululum diversæ, 44 γ talis marescens, 45 pollen.

46 Caprificus grossus longitudinaliter apertus, cujus superiorem partem a a a a flores masculi, inferiorem bbbb feminei ab insectis ficariis corrupti occupant. 47 squamæ duæ calycinæ ad foramen umbilici ficus positæ; altera a exterior. 47 altera b interior. 48. staminum quinque fasciculus, c stamen solitarium. 49 flos femineus ab insecto ficario corruptus. 50 pisum seu insecti ficarii, x a superiori, β ab inferiori, γ a laterali facie.

51 Ficulus ramulo supra et infra amputato insidens-quorsum? unde? an monstrum umbilico late patente? 52 an ejusdem ficuli superior pars? 53 flosculi feminei naturali 54–56 aucta magnitudine 54 flosculus solitarius 55. duo–56 tres sibi agglutinati 57. a semen involucro mucilaginoso tectum b idem ex denudatum c idem absque involucro mucilaginoso et cortice duriori d idem pari modo utroque involucro orbatum, ipsa interiori teneriori membrana ejus parte remota.

LAMIVM Garganicum: foliis cordatis pubescentibus, corollis fauce inflata, tubo recto, dente utrinq; gemino *Linn Spec. Pl. p. 808 ed. 2.*

1 flos integer, a. calyce profunde quinque - dentatus, b. idem secundum longitudinem fissus, c corolla d eadem aperta, α α tubus β β fauces, γ γ labium superius, δ δ inferius, ε ε dentículi ab utraque parte fauci insidentes, e. stamina in situ naturali, f. eadem cum corolla explicata, g. stylus cum h. stigmate, i germen quadrifidum calyce b. contentum, k. calyce in sinu fovens semina quatuor matura, l. semina seorsim exhibita.

THEABROMA foliis serratis Linn Hort. Cliff. 379.

A. 1. flores duo integri, situ diverso et magnitudine naturali repræsentati, B. C. iidem magnitudine aucti, petalis remotis, unico in B. relicto. a a a a. pedunculus, b. b. perianthium triphyllum magnitudine naturali, c. c. aucta. d d. corolla constans petalis quinque, e e. petala duo seorsum exhibita diverso sub situ. α. α. petalum ipsum B. B. ejusdem seta bicornis f. idem una cum flore, cui insidet, magnitudine aucta, g g. nectaria foliolata quinque constantia. h. h. stamina per paria, uti videtur, coalita i. par unicum separatum magnitudine auctum. k. pistillum, D. pericarpium maturum

Character fructificationis ab Houstono mutuatus.

I. flos integer absq; pedunculo, a. calyx triphyllus, b. petala corollæ, c. petalum separatum, d calycis tria foliola, quibus stamina e. insident, f. stamen solitarium, II fructus integer, h. secundum longitudinem, i. transversim dissectus. α. α. loculi. B. B. semina.

VERATRVM scapo fistuloso et squamosa spica stricta. Ehret.

a Flos hermaphroditus integer a facie interiori, b lateral; c idem absq; corolla, d idem pedunculo et corolla remotis, staminibusq; explicatis. α α α α pedunculi, ββ corolla hexapetala, γ γ γ v stamina, δ δ pistilla; 1 germina tria in unicū coñata, 2. stigmata recurva, 3. germen tale universale transversim dissectum —, seminum rudimentis in vicinio positis, naturali, 4 aucta magnitudine e. flos hermaphroditus, matureſcente pericarpio. α pedunculus, β petala perſiſtentia, γ stamina pari modo perſiſtentia, δ pericarpium matureſcens, maturum discedens — in tres capſulas, 2 talis capsula introrsum longitudinaliter dehiscens 4. semina conjunctim exhibita, 3 duo separata.

Character fructificationis Veratri flore subviridi Tourn.

A masculus flos, constans corolla hexapetala a, et staminibus sexc b; B hermaphroditus compositus itidem exc corolla hexapetala a, et staminibus sexc b, præterea vero pi„ stillis tribus c, germinibus α coalitis. C. idem aliquantulum adultior 1 pericarpium imaturum inde excemtum transversim, 2 longitudinaliter dissectum, 3 semi„ na imatura.

URTICA *foliis alternis, cordato-ovatis, serratis; floribus dichotomo-cymosis: masculis inferioribus, nudis.*

A. Cyma masculina. a flores masculi, unus α ab inferiori et exteriori, alter β ab interiori et superiori facie: 1. 1 perianthium tetraphyllum erectus villosum, intus glabrum, 2. 2. stamina quatuor, 3. nectarium. B. Cyma foeminea. b fasciculus florum foemineorum naturali, c talis singularis aucta magnitudine: α calice bivalvis pericarpium mentiens, β stigma villosum. d. pericarpium spurium transversim dissectum, in cujus medio continetur semen e.

CROTALARIA *foliis ternatis lanceolato ovatis, caule lævi herbaceo, racemo terminali* Linn. Hort. Cliff. p. 499.

1 flos integer. a. pedunculus b. calix persistens c. vexillum d. alæ e.e. carina f. stamina ab origine distincta g. pistillum h. ejusdem pedicellus 3. legumen trigonum transversim ad suturam usque dissectum, insidens pedicello α et desinens in acumen β, i. semina suturæ k mediantibus receptaculis, cohærentia.

BYTTNERIA *scabra* *Linn. syst. 2. p. 181.?*

a Flos umbellula, b flos integer, c idem, germine d cū nectario et filamentis coronantibus — excīsecto et ab inferiori et interiori parte apposito, e stamina nectarium et germen in nexu et explicata per microscopiū visa, f stamen solitarium pari modò auctum, g germen naturali magnitudine, ambitum nectario quinq; radiis sagittatis constante, h ejusdem nectarii radius sagittatus per lentem vitream auctus, i pistillum itidem magnitudine auctum.

PLANTAE
SELECTAE
QVARVM IMAGINES
AD EXEMPLARIA NATVRALIA
LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA
MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT
GEORGIVS DIONYSIVS EHRET
GERMANVS
COLLEGIT
ET PVBLICO VSVI DICAVIT
D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV
MEDICVS NORIMBERGENSIS
POST IPSIVS MORTEM
NOMINIBVS ET NOTIS ILLVSTRAVIT
D. BENEDICTVS CHRISTIANVS VOGEL
PROFESSOR MEDICINAE ET BOTANICES
IN ACADEMIA ALTORFINA
IN AES INCIDIT
ET VIVIS COLORIBVS REPRAESENTAVIT
IOANNES IACOBVS HAID
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA VIIII.
A. R. S. MDCCLXXII.

MELANTHIVM *petalis un- guiculatis Linn spec. 483.*

1. Flos solitarius ab anteriori et interiori facie. 2. Pistillum cum petalo unico, stamine et nectario: a. petalum unguiculatum; b. stamen ipsi supra unguem insertum; c. nectarium a tergo staminis situm, humorem luteum fundens; d. pistillum germine trigono et stylis tribus recurvis in stigmata simplicia terminatis, constans.

F. Jac. Hard. excud. Aug. Vind.

PERIPLOCA foliis cordato-oblongis glabris.

1 Flos integer a latere conspiciendus: 2. idem explicato facie interna obversa: a. corolla dissecta et explicata, b eadem una cum nectariis dissecta et explanata; c. nectarium cum genitalibus in magnitudine naturali aliquantum majori 3. flos absq; corolla per mi- croscopium conspectus: d. ejus nectarium dissectum et evolutum, ut conspiciantur denticuli illi minores, majoribus utrinq; appositi, et il- li interiores erasuli, cuspidati, iisdem majoribus situ respondentes. 4. flos magnitudine admodum aucta, corolla et nectario, quantū fieri potuit, explanatis, quo staminum ortū et situ sub oculos cadat. 5 pistilla cum staminibo, stellae instar resupinatis, per lentem vitream valde augentem conspecta. 6. pistilla mirum in modum aucta, germinibo oblongulis e, studio diductis, desinentibus in stigma f capi- tatum, in medio apiculis duobus α supereminentibo, et in ambitu corpusculis quinq; oblongulis β, didymis, antheras aemulantibo notatum.

S. Sac. Hall excud. 47.

PONTEDERIA *foliis cordatis, floribus spicatis Linn. Cliff. 133. Spec. 412.*

F. 1. spatha lateraliter et longitudinaliter hians. 1–4. flores magnitudine naturali, I–IV. aucta: 1. I. flos tenellus nondum expansus, 2. II adultus jam explicatus, a latere exhibitus, 3. III. talis a facie anteriori, 4. IV. idem dissectus et explanatus: α β v. corolla: α tubus, β labium superius trifidum, γ inferius tripartitum; a. b. stamina: a. tria superiora ad apicem tubi posita et laciniis labii inferioris situ respondentia, b. tria inferiora basi tubi inaequaliter inserta; c. pistillum.

J. Fac. Haid. excud. Aug. Vind.

PHYLLANTHVS *caule arboreo, foliis ovatis obtusis integerrimis Linn. Cliff. 440.*

1. Flos solitarius in magnitudine naturali. 2 foemineus explicatus et per microscopium conspectus: a. calycis foliola; b. nectarium polygonum germen marginans; c germen subrotundum, coronatum stylis trib9 recurvis d. in summitate bifidis. 3 capsula matura, subrotunda, trigona. 4. valvulae duae, in quas dehiscit unusquisq3 loculus. 5. semina duo in situ contrario, altero apice, altero basi obtusa adverso.

J. Jac. Haid. excud. c Aug. Vind.

ACER *foliis quinquelobis, subdentatis, subtus glaucis; floribus pedunculatis simplicibus, rare aggregatis, divicis.*

a. Flos hermaphroditus integer. b. idem absq; calyce et petalis corollæ, ut conspiciantur stamina sexc pistillum circumstantia et pistillum ipsum, germine compresso et stigmatibus duobus erecto patentibus constans.

I. Jac. Haid. excud. c. Priv. Imp.

Tab. LXXXVI.

ACER *foliis trilobis, serratis, subtus glaucis; floribus pedunculatis simplicibus, confertim aggregatis.*

1. Flos masculus expansus. 2. hermaphroditus? 3. fructus è duabus capsulis conditus, singula in alâ membranaceam desinente. 4. capsula solitaria, ab altera gemella separata, loculamento, semen includente, aperta. 5 semen.

I. Jac. Haid. excud. Aug. Vind.

VIBVRNVM foliis cordato-orbiculatis glabris serratis plicatis Gronov. Virg. 46.

1. Flos solitarius a facie anteriori et interiori 2 idem a tergo. 3. talis in partes separata, ut solitarie conspiciantur a. corolla cum staminibus et b. perianthium cum pistillo. 4 bacca matura, sub rotunda, calyce persistente coronata, insistens pedicello pedunculo suffulto. 5. bacca transversim dissecta, semine unico foeta. 6. semen seorsim exhibitum.

J. Jac. Haid. excud. Aug. Vind.

CHELONE *foliis lanceolatis serratis: summis oppositis Linn. spec. 849.*

1 Flos solitarius deorsum spectans. 2 perianthium cum pistillo. 3. floris stamina quatuor situ, nexu, magnitudine et proportione naturali.

I. Jac. Haid, excud. et sug. Vind.

SIDA *foliis subrotundo-cordatis sublobatis, pedunculis subumbellatis, capsulis multilocularibus.*

1. Flos solitarius in situ inverso. 2. petalum unicum cum staminibus, inferne in cylindrum connatis. 3 tubus staminum sursum exhibitus. 4. idem dissectus et explicatus, ut sub ovulis cadat pistillum a, intra latens. 5. pistillum germine subrotundo, stylo multifido et stigmatibus capitatis constans. 6. pericarpium immaturum transverse dissectum: x ejus ovula. 7 pericarpium maturum, e pluribus loculis coalitum, in eosdemque solubile, a latere exhibitum. 8. idem faciem superiorem ob tens. 9. ejus loculus integer. 10 talis longitudinaliter dissectus, seminibus pluribus, suturae interiori adnatis, foetus. 11. semina duo cum receptaculis: α magnitudine naturali, β aucta. 12. pedunculus fructifer.

J. Jac. Haid. excud. Aug. V.

ABUTILON *fruticosum, aquaticum, folio cordato, flore pallide luteo* Houston.

I Racemus supra floribus, infra fructibus ornatus. 1 flos: a perianthium exterius, b interius, c corolla. 2. fructus intra calycem duplicem persistentem. 3. fructus absq; calyce et seorsim exhibitus. t. eius loculus, 5. semen.

Hanc. Hall. excud. & fec. Lond.

PLANTAE
SELECTAE
QVARVM IMAGINES
AD EXEMPLARIA NATVRALIA
LONDINI IN HORTIS CVRIOSORVM NVTRITA
MANV ARTIFICIOSA DOCTAQVE PINXIT
GEORGIVS DIONYSIVS EHRET
GERMANVS
COLLEGIT
ET PVBLICO VSVI DICAVIT
D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREVV
MEDICVS NORIMBERGENSIS
POST IPSIVS MORTEM
NOMINIBVS ET NOTIS ILLVSTRAVIT
D. BENEDICTVS CHRISTIANVS VOGEL
PROFESSOR MEDICINAE ET BOTANICES
IN ACADEMIA ALTORFINA
IN AES INCIDIT
ET VIVIS COLORIBVS REPRAESENTAVIT
IOANNES IACOBVS HAID
PICTOR ET CHALCOGRAPHVS AVGVSTANVS

* * *
* *
*

DECVRIA X.
A. R. S. MDCCLXXIII.

ACER [Platanoides] foliis quinquelobis acuminatis acute dentatis glabris, floribus corymbosis. Linn. Spec. 1496.

I Ramulus cui adnatus racemus floridus A. insistens gemmae explicatae B. II Fructus diptenus

HELICTERES /: Flora :/ decandra, foliis cordatis serratis, fructu toto contorto. Linn. Syst. 2. p. 601.

A Fructus cum pediolo b, cui innitur, et calyce persistente a, an a varietate α fructu graciliori, an ab H. bravensi ? c. capsulae duae solitariae ab utraq3 parte : α interna, β externa. d. d. Semina, ut videntur, naturali et aucta magnitudine. B Fructus cum suo praelongo et incurvato pediolo 1, ab altera varietate fructu crassiori et villoso. 2 Eius capsula solitaria.

Joh. Jac. Haid. excud. Aug. V.

ARCTOTIS [caulis] pedunculis radicalibus, foliis lyratis.

Linn. Spec. 1306.

Sob. & Th. Haüd. excud. Aug.t

CEANOTHUS *Americanus* folius trinervius.

Linn. Spec. 284.

a Flos nondum explicatus in magnitudine naturali. b Alius iam expansus, petalis cum staminibus, intra Calycem conniventem antea arctatis, nunc exertis. c Idem lente vitrea auctus. d Lacinia calycis s. perianthii fornicato-conica. e Petalum α cum stamine ß huius ungui in basi inserto. f Pedicellus cum pistillo, cuius stylus ß trifidus, stigmata γ simplicia, g Fructus s. bacca sicca tricocca. h Talis transverse disecta, ut conspiciantur semina tria, suis totidem loculis inclusa. i Semen solitarium. A Ramulus fructifer.

Joh. Jac. Haid, excud. Aug. V.

MIMOSA [*sensitiva*] *aculeata, foliis conjugatis pinnatis: partialibus binis: intimis minimis.* Linn. Spec. 1501.

A Legumen solitarium integrum. B Tale verticaliter dissectum, ut dissepimenta transversa, seminibus intergerina, conspici possint. C Semen solitarium.

Joh. Jac. Haid. excud. Aug. Vind.

PIPER foliis obtusifolium: foliis obovatis enervus.
Linn. Spec. 42.

Joh. Jac. Haid, excud. Aug. Vind.

GALEGA /: cinerea :/ leguminibus strictis patentibus pedunculatis, racemis oppositifoliis, foliolis mucronatis subtus villosis. Linn. Spec. 1062?

A Ramulus fructifer. a Legumen hians.

Joh. Jacob Haid, excud: Aug. V.

ITEA virginica. Linn. Spec. 289.

a Flos integer. b Petalum unicum lanceolato-lineare. c Flos absq; petalis. d Stamen solitarium. e Pistillum. f Calyx parvus, quinquedentatus.

Joh. Jacob Haid, excud. Aug. Vind.

ELLISIA *Nyctelea* Linn. Spec. 1662.

a Flos integer iunior, lacinias calycis adhuc angustioribus et magis erectis. b Talis adultior, iisdem iam latioribus magisq; patulis. c Calyx quinquepartitus α cum pistillo β. d Corolla integra, per microscopium conspecta. e Eadem per longitudinem fissa et explanata, ut stamina quinq; ipsius fundo adnata, incurrant in oculos. f Stamen separatum. g Pistillum germine subrotundo muricato α, stylo parvo β et stigmate bifurco γ constans. h Calyx persistens cum pericarpio scortiformi, in stylum et stygma, hic itidem persistentia, terminato. i Pericarpium transverse dissectum, ut loculi duo, dissepimento verticali interstincti, semina α continentes, conspiciantur. k Calyx cum pericarpio, cuius posterioris dimidia pars sectione verticali, secundum longitudinem facta, idcirco ablata est, quo Semina in utroq; loculo bina, uti alterum alteri superimpositum est, in conspectum veniant. l Semen solitarium.

Joh. & Jac. Haid. excud. Aug. V.

1. Fructus integer maturescens, insistens portioni rato, trifariam fatiscente, tricornis: a. b. ab utraqꝫ cornibus, valvulas terminantibus, et pedunculi portione. leviter sibi sunt nexæ, sed dissepimenta iam ex parte soluta. pedunculi, a stigmate ex parte persistente, induparte. 2. Alius maturus dehiscens cum äsdem 3. Alius transverse dissectus, cuius valvulæ adhuc 4. Semina.

IRIS /:ochroleuca:/ corollis imberbibus, germinibus sexangularibus, caule subteretі, foliis ensiformibus striatis.

Linn. Mant. 175.

Joh. Jacob Haid, excud. Aug. Vind.